





Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12
19
e
12

72 72
6 6
1 1
72671

BASSIANI LANDI PLACENTINI, MEDICI AC PHILOSOPHI EXCELLENTISSIMI,

IATROLOGIA.

Dialogi duo, in quibus de uniuersæ artis Medicæ, præcipuè uero morborum omnium & cognoscendorum & curandorum absolutissima Methodo, perquàm eleganter ac doctè disseritur.






Cum Cæsareæ maiestatis gratia & priuilegio ad quinquennium.

BASILEAE.





ILLVSTRISSIMO *FERRARIAE DVCI HERculi Estensi secundo, Baßianus Landus Placentinus S. P. D.*



VM rerum causas animo contemplor, & memoria repeto diuinam prouidentiam summi Opificis, qua cuncta reguntur & gubernantur, tum mihi uenit in mentẽ illius ueteris opinionis, quæ profitetur, homini uitam perexiguam datam esse: atq; adducor, ut illam nec usquequaq; explodendam esse putem, nec omnino recipiendam, si uiuendi genus hominum distinguere ac cognoscere quisq; nostrûm uoluerit. Nam is ipse diu se uiuere arbitratur, qui bene honesteq; uiuit, atque ratione, qua differt à brutis, in toto uitæ cursu probe utitur, propterea quod in omnibus rebus gerendis finem sibi terminumq; semper destinat, quò refert omnem rationem, & cuius causa omnia facit, in spem consequẽdi illum adductus: & in hoc, ubi potitus est, quasi in maxima felicitate constitutus acquiescit, atq; satis naturæ se uixisse credit. Qui uero turpẽ uitã degit, & ocio abutitur, nulloq; utĩ iudicio, sed more bestiarum instinctu naturali fertur, & cæco errore ductus nihil præclarũ animo agitat, nihil delibe rat, nihil apud se statuit, is de hac breui lucis usura,

 con-

conqueritur, quippe qui ex antè acta uita se uixisse non sentiat. Itaque in humanis actionibus nihil existimo & honestius & iucundius esse, quàm magna ope niti, ut testemur nos aliquando in uiuis fuisse, ne hanc uitam silentio ueluti pecora transigere uideamur. Quicunque igitur labores ac industriam suam in aliquem honestum finem, & homine libero dignum confert, ille mea quidem sententia prudens est & sapit, tum quia sibi suisque studijs optime prospicit, tum quia accõmodat rationem & artem, in eum quem natura tribuit usum. Ego uerò tametsi ad medicinam serius, quàm alij solẽt, accessi, id tamen nõ iccirco feci, quia certi nihil mecum antea cõstituissem, sed rectũ consiliũ bonãque rationẽ, in hoc studij genere, nisi me mea fallit opinio, iniui. nam uarijs in artibus & scientijs uersari quidẽ placuit, sed ita, ut in illis quasi in umbris quibusdam me exercerem, & ueluti in speculis intuẽs me, ad hæc ipsa, quoad fieri posset, diligentius expolirem: eos sanè imitatus, qui ad certamen sese cõparant, quo & saltu & motu manuum in ludo exercitati, callidius in pugnam descendant. Et certè quidem magnum certamen nobis incubuit, cuius gratia multa prius tentanda fuerunt. Poetas enim, oratores, philosophos, & cæteros bonos scriptores, euoluendos esse mihi duxi, undè ad ingenij exercitationem aliqua tandem esset rei medicæ accessura utilitas. Nam ut plantarũ propria uis est, fructus producere, afferunt tamen ornatum aliquem & rami frondescẽtes: sic philosophiæ quidem precipuus fructus est, cognitio & ueritas; medicinæ

autem,

autem, curãdi sanandi'ue ratio. nihilominus non dedecet utramque ornari hac externa sapientia, quæ & fructui tegumentum præbeat, & speciem intuentibus lætiorem ostendat: id quod uiros insigni doctrina preditos olim fecisse scio. At uerò nec oratoribus ita me addixi, ut putauerim solùm esse conquiescendum in ornamentis tam uerborum, quàm sententiarum: nec ad poetarum fabulas sic animũ adiũxi, ut apud illos tanquam ad scopulos Sirenæos mihi cõsenescendũ esse existimauerim: nec philosophię tantum inhæsi, quin ad studia humano generi utiliora me auocari cognoscerem. in quibus, si aliquid sum futurus unquam, id omne IOANNI BAPTISTAE MONTANO acceptum feram: tum quia is semper quamuis sponte currentem me excitauit, ut medicinam cum philosophia ad meam utilitatem coniungerẽ: tum etiam, quia propriam medendi rationem, quę tot abhinc annis incognita fuit, iam biennium mihi cæterisq; bonarum literarum studiosis commõstrat, atque sine fuco & fallacijs communicat. Ex quo mediusfidius non diffiderem, quin eam exactè consequerer, si maturius talis tantusq; medicus mihi contigisset. An uerò aliquam partem sim cõsequutus, periculum facere uolui in conscribendis de re medica duobus Dialogis, in quib. me ipsum potius sub persona amicorum, quos facio loquentes, exerceo, quàm alios erudio. Alter quidem breuem quandam morbos inueniendi methodum cõtinet, in altero uero curandi modus exponitur. atque in utroque, quantum fieri potuit, latini sermo-

nis puritas & perspicuitas orationis seruaт, ut res, quæ per se obscura & abstrusa erat, clara apertaq; emēdata locutione redderetur. Quo fit ut magnopere uerear, ne medici nostri temporis, si forte in eos inciderint, temere calumnientur: quippe qui homines politioris literaturæ & interioris disciplinæ amantes, cane peius & angue oderint: atq; adeò præceptori meo semper eo molesti fuerint, quòd methodum profiteatur. quid nunc credis mihi discipulo facturos, simulatq; senserint de illa conscribi Dialogos? Itaq; cum uoculas huiusmodi hominum & maledicta timerem, & mecum ipse cogitarem, atq; sæpius animo repeterē, sub cuius Principis, aut honesti uiri patrocinio tuti forent ij nostri Dialogi, si forte fortuna in uulgus exijssēt, tu unus ex omnibus occurristi, à quo possent iure auxiliū implorare. Nam ut omittam autoritatem summā, qua polles, & penè diuinam gratiam, quæ te magnis regibus omnibusq; hominibus iucundum et amabilem facit, atque linguæ latinæ ac grææ peritiam ita mirabilem ut nemini qui sit tui ordinis in tota Italia secundus habearis, beneuolentiæ, quam proximis annis sane mirificam erga me ostendisti, plurimum confido. unde in eam mentem facile impellor, ut mihi persuadeam, ut si tua ope uti necesse sit, nusquam sis defuturus: & eò sanè, quod à natura comparatum habes, ut sponte tua studiosis iuuenibus quantum potes benigne facias, & bonas artes promoueas. Id quod ego postquam cognoui, abiecta omni cunctatione hosce meos dialogos, qualescunq; sunt, ad te mittendos curaui, non quia

existimem ea arte conscriptos, & ea oratione stiloq; factos esse, ut digni sint qui sub tuis auspicijs prodeant in lucem: sed si casus aliquis ferret, ut ad manus malorum medicorum peruenirent, tuo patrocinio defenderes. Cape igitur hoc nostrum munusculum: longe maius & honorificentius alterum, si per ociũ licebit, in posterũ accepturus. interea hoc fruere, atq; tibi persuade, esse quoddam testimonium meæ singularis in te beneuolentiæ ac obseruantiæ. Vale, & me ut cœpisti ama.

BASSIANI LANDI PLACENTINI PHILOSOPHI ET medici Iatrologia.

IACOBVS BONFAdius. Petrus Cassius.



AEPENVMERO, P. *Cassi, admirari soleo, quid sit, cur in uoluntate hominũ, eius artis uel disciplinæ mira quædã cupiditas relinquatur, cuius laudes et usus erudita ac splẽdida oratione efferri in cœlũ audiũtur: ex quo plerũq; fit, ut nihil in natura rerũ illi esse desiderabilius & admirabilius rati, magnopere cõcupiscant. id quod sanè mihi nũc sentio accidisse. Quo enim crebrius ea memoria repeto, quæ nuper audiui, eo uehemẽtiori studio cõcitor. Quamobrẽ peropportune commodeq; aduenis, nec alium quidẽ, quàm teipsum, mihi obuiam dari hodie cupiebam, à quo certè arbitror posse hoc nostrũ desideriũ facile leniri &* expleri. *Cass. Nõ mehercle*

ob aliud honestarũ rerũ, quibus damus aures, igniculos et uim concupiscendi in nobis excitari & ingenerari puto, quàm quod in maximis bonis illas ducimus. Sed quid est quod me uis? Bonfad. Scies, si paulisper colloqui tecum liceat. Cass. Quid ni, obsecro, liceat? imò nõ poteras meliori tempore mecũ congredi. Age porrò tu, dic sine ulla cunctatione. Bonf. Heri non multo pòst quàm te reliqui in Bembi hortis, Archigenẽ medicũ familiarem meum, atq; eundem tuàm, animi causa adiui. is, ut scis, mei amantissimus, & colloqui sanè quàm studiosus, serò me dimisit. Domũ redij, Hortẽsium et Iuliũ offendi de arte medica diuinitus disputãtes, quorũ oratione magnopere sum recreatus. Præter enim quàm quod sententiarũ grauitate animum meum oblectabant, suauitate etiam dicendi miris modis demulcebãt, ita quidem, ut quãuis in multam noctem produceretur sermo, tamẽ quàm breuissimus mihi esse uideretur. Ex quo, si quis mortalium unquã, ego nunc medicinæ desiderio maxime teneri incipio. sed in illam hercle ingrediendi, nullã

rationem prorſus inire poſſum. Propterea aueo ex te audire, et quid conſilij des, & quã uiam mihi præmonſtres. Caſſ. Nempe nõ aliud Bonfadio meo conſiliũ darem, quàm quod mihi acciperem: nec aliam uiam oſtenderem, quàm ipſam, qua egomet inſiſterem. Bonfad. Quid amabo? Caſſ. Quid rogas? bono animo renunciarem oratoriæ arti, & ad medicam aggrederer. Bonfad. Atqui idipſum ſtudeo, ſed tua opera uti neceſſe eſt. Caſſ. Qua tu mea opera? Quaſi uerò ego multum hac in re te adiuuare poſſim. qualis qualis tamen eſt, eam tibi defero, dum ſit modo futura alicui uſui. Bonfad. Quidni futura eſt ipſa, quæ non prodeſſe ſolum, uerum etiam meipſum hoc tempore beare poteſt? Caſſ. Age igitur loquere, & aperi modum, quo tibi opem afferre poſſum. nam & me paratum cognoſces, & quantum te amo, uiciſſim'que abs te amari uolo, experieris: & quod in me eſſe tibi perſuades, id nullo negocio conſequêris. Ecquid obſecro optabilius mihi hodie contingere poterat?

quàm dari occasionẽ gratificandi uiro docto, & amico ex animo, uereq; beneuolo? Vtinam quæ tu tibi polliceris de me, cuncta præstare possim, ut amicitiam nostram, quam morũ studiorumq; similitudo paucis ab hinc mensib. cõiuxit, in posteritatem mutuis officijs propagaremus. Omnium namq; rerũ, quas ad bene beateq; uiuendũ sapientia cõparauit, nihil est profectò hac uirtute maius, nihil uberius, nihil iucũdius, nihil diuinius, & homine ingenuo liberaliterq; instituto dignius. Quamobrem meã operam nunc requiri, et magnopere gaudeo, & tibi multum gratulor, qui non minus ad petendum beneficiũ quàm ad promerendũ uoluntatem propensam geris. Bonfad. Equidem non uereor, ne sustineam tua in me uel innumerabilia beneficia: cum præsertim confidam, nullam esse gratiã, quã uel non capere animus meus accipiendo, uel remunerando cumulandoq; illustrare poßit. sed metuo ut te auocem à studijs philosophiæ, quibus magnam operã nauas, & toto animo incũbis. Caß. An mecũ fortasse Placentiã his Calendis Maij cogitas,

gitas, an potius alio terrarum me uis abducere? Bonfad. Minime gentium. Quin Pataui tecum esse expto, & uota facio, unà uiuere, unà colloqui, et uirtute tua frui. Cass. Cedo igitur, quid me hic uis pro te efficere? Bonfad. Nihil sanè aliud mi Cassi, quàm ut praescribas mihi certam rationem legendi libros Galeni Pergameni, ex quibus medendi scientiam cōparare possim. Cass. Eo quidē ordine ut legeres, tibi suaderem, quem IOANNES BAPTISTA MONTANVS, *medicus nobilissimus atq; optimus, instituit. Bonfad.* MONTANVM *quidem illū probè noui, cuius acrimoniam in rebus inueniendis & iudicādis, atq; adeò in dicendo scribendoq; miram prudentiam simul et grauitatem, semper admiratus sum: sed de ordine legendi cōmentarios Galeni conscripsisse, nec à quoquam audiui, nec usquam me legisse adhuc memini. Cass. Nihil profectò mirum est, si nusquam memineris legere, quippe qui medicae rei opera nunquā attigeris, neq; medico quopiam, nisi ab hinc tribus quatuor'ue ad summū*

mensib. intimè et familiariter usus fueris. Certe quidem scripsit MONTANVS *de ipso, quē nuper dixi, ordine, tanta arte & ratione, quãta sanè Galenus ipse cõmentarios suos disposuit, et posteris relegẽdos tradidit: sic distinctè, meo iudicio, in classes certas et firmas distribuit, ut tanq̃ optimè aciẽ instruens Imperator, nullas barbarorũ incursiones extimescere possit. Quid quæris? Cuncta, quæ sors cõturbata conglobauerat, et hominũ imperitia hactenus comprobata sunt, et præpostere tradita nobis, in ordinẽ adduxit, et bellissime cõstruxit. Quãobrem si me audies, libellũ de hoc ordine ediscendũ sequendũq; tibi propones. breuis enim est, et ijs qui medicinæ sacris initiari uolũt perq; utilis. Bonf. Cedo istũ libellũ. Cass. Imus intro, hic nõ possũ tibi facere uidẽdi copiã. Bõf. I præ, sequar. Cass. Sequere, in bibliothecã me recipio. Bonfad. Probè. Cass. En libellus. Bonf. Agedũ, legã. ô quàm uera sunt quæ prædicas de homine, disperam nisi meam opinionem superauit. Heus tu audin? ut disposite, ut plane latineq;*

lo-

loquitur? Dij boni quàm ingeniosa peroratione, quæ latissimè patuerūt, omnia repetit, et in unū locū cōducit. Nunquā putaueram tāto post se interuallo posse relinquere turbam medicorū. acquiesco in hoc libello, nec medius fidius alio ordine, q̄ hic præcipitur, Galeni legā commētarios. Sed quid mihi in ipsis obseruandum sit, nondum constitui, nec à quoquam aperte accepi. Quocirca genus obseruationis tuū tam libens audirē et intelligerē, quàm quod maxime. Cass. Quàm uehemēter erras et falleris, si in eam mentē impelleris, ut credas id operæ & studij me ponere in Galeno, quod superiorib. annis in Cicerone posuerā. Contrà artes & disciplinæ ediscūtur, q̄ eloquentia: illæ quidē usu & ratione cōparantur, hæc uerò & obseruatione & exercitatione constat. Itaq; medicinā, quæ est una de liberalibus & ingenuis artibus, noli putare obsecro, ex turba indicū peti, & facile parari. Si totam enim quam habemus, plurimis uoluminibus accuratissime complectitur, uel obseruatis syllabis, dictionibus, sententijs, in tabu-

in tabulas referes, aut nihil, aut minimũ in hac arte proficeres. Bonfad. Atqui non opinor te uerba consectari, quæ nõnullis miro studio & immenso labore colligi uulgò constat; sed magna diligentia sentẽtias & quasi quædam profata obseruare, id quod mediusfidius multis uiris, & illis quidem illustribus, qui totum nomen hac nostra memoria sibi uendicãt in medendi scientia, placere accipio. Cass. Quos tãti nominis uiros significet hæc tua oratio, non planè intelligo. Bonfad. Nomini parcere, quàm stomachũ alicui mouere æquius est. nosti enim hominũ ingenia, de quib. etiam si rectè sentias, ubi semel suspicari cœperint, omnem suspicionem in te cõmouent, atque in deteriorem partẽ quicquid de se dici audiunt, omne rapiunt. Cass. Sanè uerò, ut ait Comicus, Obsequiũ amicos, ueritas odiũ parit. Et fortasse illos conscientia timidòs suspiciososq; facit: sed quales quales sunt, authoritate sua non poterunt me permouere, ut potius quid ipsi faciãt attendam & sequar, quàm quod certa ratio docet & ostendit. Verissimi

le quidem est, huiusmodi genus obseruationis multum proficere ac ualere ad memoriæ ostẽtationem, & inanem gloriam: sed ad exquisitam morborum inuentionem & iudicationem parùm conferre, certumq; est & perspicuum. Cognoscas enim licet ex ijs non paucos, qui cum simili modo studia instituerint, in conuentu hominum more psittacorum perstrepant, & perpetuò, inquit Galenus, inculcantes iure optimo à doctis rideantur: et præter quàm quod se propinãt sapientibus irridendos etiã produnt, ingenijq; sui motum remorantur, & miseri ac infelices sunt: quippe qui de suo nihil promant, sed semper aliena imitentur. atque utinam imitandi artem tenerent: quam quidẽ ne consequi poßint, in caußa est insana quædam cupiditas cogendi & coaceruandi innumerabiles sententias. Sed hoc suum coaceruare, quid aliud per Deos immortales est, quàm colligere uentum, & plausum popularẽ quærere? Hæc non est uera imitatio, hac uia non deducimur ad medendi scientiam, sed aliam longè certiorem & tutiorem & breuiorem

insistere oportet, quam Galenus nobis commonstrauit. Bonf. Miror ni omnibus haec uisa uia est, praesertim cum iamdudum aetatem, ut tu refers, commonstrata fuerit. Cass. Desine mirari, amabò te. an nescis patres nostros ita à Musis & à Gratijs fuisse alienos, ut etiã inuentis frugibus, uesci glandib. uoluerint? Vnde mirum tibi uideri non debet, si plurimi hoc tempore, qui rudem illam antiquitatem amant, id cibi genus nõ aspernãtur, maluntq; uitam agrestem quàm urbanam agere. Iis quidem patuit aditus in syluas & querceta et uepreta, iter uero ad amoenos et iucũdos et amabiles hortos Mussarũ interclusum est. Assueti enim iam inde à pueritia procedere inepta & deterrima uia, de optima atq; commodissima declinauerũt. Atq; si Dijs placet, uetus consuetudo tantum potuit, ut in illis iam natu grandibus uim naturae obtinuerit. Quo fit ut tantum abesse putem, ut uiam quae recta ostenditur, uidere potuerint, ut ne aspexerint quidem: sed si qui sunt, qui sanè pauci sunt, qui fortè eò diuertãt, illos insanire et prorsus caecutire

cutire subitò conclament, ne longius abieris. Ego ubi primum cœpi dare operam medicinæ, circumuentus à quibusdam minutis medicis, penè adducebar ut crederem non aliam esse uiam ad medendi rationem, quàm quæ deducit ad solam uenationem sententiarum, & aucupium uerborum. Propterea multum operæ, studij, diligentiæ, in eo ponere certum erat, nisi MONTANVS *dehortatus fuisset. Is etenim cũ propalam Methodũ medendi profiteretur non sine ratione demõstrabat, nulla in re magis conteri tempus, & (ut tritũ uerbũ est) operam & oleum perdi, q̃ in obseruationibus coagmentandis. Deterritus itaq;, studiorum meorum aliam longè rationẽ iniui, totumq́;* MONTANO *expoliendũ me me tradidi: cui quidem duplici nomine plurimum debeo, partim quod ea dedocuit, quorum magnam partem didicisse me iam pœnitebat: partim quod certam methodum inueniẽdi curandi'ue, morbos commonstrauit. Vnde is sanè, posset æque altero tanto maiorẽ mercedem iure à me poscere & exigere, atque il*

le Orator apud Ciceronem à discipulis, quos dedocendos suspiciebat, poposcisse legitur. Bons. Agnosco perofficiose Cassi, gratā animi tui uoluntatem erga MONTANVM, ut qui profitearis ingenue per quem maximè profeceris. Sed mediusfidius in te gratum me non minus fore senties, quàm te ergà se ille sensit, si hanc ipsam edocere uolueris, quam methodum tu nominas. dabo etiam me in tuam disciplinam, et eo quidem libentius, quo maximos progressus in arte medica te fecisse audio. Cass. Quantum ego profecerim, aliorum sit iudicium. certò scio me multum laboris impendisse, ut mei præceptoris, quantum fieri poterat, uestigia insisterem, & quod bene longa & docta oratione exponebat, & indicabat, idem memoria et iudicio assequerer. quodcunq; tamē sum assecutus, haud grauatè tecū communicabo. Bons. O post hominum memoriā officiosissime & benignissime Cassi, nulla in re magis desiderabā experiri liberalitatem & officium tuum, quàm in liberalitate & communicatione huius artis, quam ego

go arbitror te optime callere. Nihil enim cõfido me auditurum, quod ad ipsam capescendã pertinet, quin sit doctum, cultum, et industria elaboratum. Quamobrem perattentus futurus sum auditor: & quicquid es dicturus, idipsum quoad facere potero, memoriæ cõmendabo et consecrabo. Quando igitur uoles me communicare ista arte, semper paratum habes. Cass. Nunc maximè uolo & cupio, sed tecum paucis agam antè de utilitate quam percipies, quàm ad methodum inueniendi morbos aggredior. Præter enim opinionem omnium nostri temporis medicorum multas & incredibiles cõmoditates capies. Sanè ad pharmacorum inueniendorum usum atq; ad uictus instituendi formam non modo confert, uerum etiam ijs ipsis quæ inuenta sunt, mirificè bono est. Ecquis obsecro medicamenta pro genere morbi idonea inuenire potest: & postea quæ inuenerit, utrũ salutaria et ex usu futura sint, sine methodo recte dijudicare, aut in tempore locis affectis remedia admouere, aut morbi caussas, motus uarios, symptomatum

innumera genera cognoſcere? aut euentus qui ſunt ancipites, magna ex parte præſentire & prædicere? Nempe in uiuis perpauci ſunt, ne dicam nulli, qui hæc omnia ſine methodo præſtare poßint. Huc etiam pertinet, quod ad mirabilis utilitatis fructum, quæ in artibus non quæritur neceßaria, animi quædam libera oblectatio accedit. quid namque iucundius & dulcius quàm de quocunque genere morbi propoſito, copioſe et ex arte poſſe loqui? Rurſum quid moleſtius & iniucũdius, quàm ſemper hæſitare, & nihil niſi de alienis cõmentarijs promere ac ſapere? Quid amabilius, quid item fœlicius eſt, quàm in illud ſtudiũ incumbere, quod tecum pernoctat, ruſticatur, peregrinatur, & domi foriſq; in tuam & in aliorum ſalutem conducit? atque adeò, nunquàm non minus ſolum hominem reddit, quàm cum ſolus eſt: non poßum mehercle pro magnitudine rei & excellentia ſatis oratione conſequi, quantas habeat opportunitates. Malo te experiri non ſine magno quidem tuo cõmodo, quàm nunc ex me intelligere. nec propterea, ſi qua difficul-

difficultas laborq́; discendi inter initia appareat, deterreri te uolo, ne incurras in illã diffidentiam, quæ multos meos æquales negligentes reddidit, & ad Empirica cõpulit atq; induxit, ut temere errarent. Quod si mea quidẽ sententia tantam adhibuissent diligentiam, ut rem posse confici non diffisi fuissent, non erat cur rebus suis continuò desperarent. Habe igitur animum, & spera magnam inde nasci utilitatem, ubi principiò tibi summa incidit difficultas. Bonfad. Ergo qui istam methodum non callet, nullo pacto is erit medicis adnumerandus. Cass. Sic sanè. Bonfad. Perpauci igitur, si rectè coniecturam facio, reperientur. Cass. Maximè. Bonfad. Sed qui fit, cur in singulis ciuitatibus penè infinitam eorum turbam reperias, quæ passim tibi fit obuiam in stratis mulis, tunicata, & plerunque aeris inclementiam metuens benè petasata, adeò ut sereno cœlo pluuiam descendere, aliquãdo sim suspicatus. Atqui non rarum mihi uidetur esse medicorum genus. Cass. Vides pallium quidem & barbam, at

at medicos non uides. Sanè multos conspicias licet Acesias imperitos, Menecrates insanos, Nicias infidos, Thessalos arrogãtes et furentes: nullos Aesculapios, nullos Chironas, nullos Asclepiades, paucos Acronas, Aristogenes, Philippos. Bonf. Itáne est ut dicis? Cass. Equidem cuperem dicere mendacium, quoniam multo fœlicius & præclarius ageretur cum mortalibus, et nũc, & in posteritatem, quàm non multis antè annis actum est. idq́ profectò æquiore animo esset ferendum, nisi improbitas illos grauiter impudentes efficeret, ut qui medici nomen ementientes in figura humana, immanitatis & carnificinæ formam gerant. Quocirca bono medico nil melius, malo terra nil peius creat. Bonfad. Mirum quantum errabam. Posthac dabo operam, ne quemuis medicum esse credam, & salutem. Cass. Rectissimè mea quidem sententia facies. Hoc enim nomẽ cum sit sanctum & uenerabile, non unũquemque decet, nec omnibus conuenit, sed ijs duntaxat, qui secundùm Deos hominibus maxime

me poßunt eße utiles. Bonfad. Verò. Sed quid tu mihi dicas consilij? Vnde opem petere suades, ut ne sim futurus in falsis & ementitis medicis? Caß. Methodũ Galeni fac amplectaris, ames, magni æstimes, in eam omni studio incumbas, eam omnibus in rebus agendis in consiliũ adhibeas, reputesq́; cuncta præsidia ex ea quæri & comparari. Bonfad. Probè admones. Verum qui amare illam possum, cum quid sit nondum mihi constet? Caß. Si quid sit quæris, nomen ipsum planißimè tibi ostendet. Bonfad. Age mecum planius & rudius, quoniam quorsum spectet tua oratio, uix dum intelligo. Caß. Dico ego, ex nominis notatione & uim & naturam rei manifestè aperiri. inde enim methodus dicta est à ueteribus scriptoribus, quòd est ὁδὸς καθόλου μία ἁπάντων κοινὴ τῶν κατὰ μέρος. Bonfad. Obscura sanè definitio est, obsecro te explica eam planius. Caß. Non exprimam uerbũ è uerbo: non enim poßim latinè. sed explicabo sententiam. Methodus est communis et absoluta omnium rerum ratio, quæ ad singula-

res & proprias cuiusque uires gradum facit. Bonfad. Optime iam rei potestatem teneo, at uis'ne, ut de ea ego te percuncter? Cass. Sane uolo. propterea quod ad inueniendi curandi'ue morbos rationē promoueri exoptas: idq; fiet commodissime ex interrogatione, uicissimq; responsione, quemadmodum fuit laudabile institutum ueteris Academiæ, quod quidem Socrati magnopere placuit, qui percunctando atq; interrogando apud Platonē elicere solet eorum opiniones, quibus cum edisserit. sed obsecro te, si fieri possit, effuge minutas interrogatiunculas, quasi puncta & aculeos Stoicorum, quas ignauas & inertes potius nominare ego soleo, quàm solertes & ualidas: quoniam magis ad argutandum & cauillandum, quàm ad perdiscendum conueniunt. Iam uero ne desit tibi rerum sylua, de quibus singillatim etiam suo loco possis percunctari, ordinem sine aliqua concertatione uerborum sic instituam, ut nihil aberres. Principio itaque sciscitari licet de morbo, quid, & ubi sit, atq; etiam de eius caussis & symptomatibus,

matibus, deinde horum omniũ signa quæres, et memoria tecũ repetendo excuties, postbæc de morbi euentu communi appellabis. Bonf. Cum illius rei ordinem de qua mihi fas est cõ sulere et sciscitari pulcherrime et breuißime dispo sueris, quæso igitur, quid est morbus? Caß. Peropportuno loco interrogas. nam semper à definitione est sumendum initium, ut quod quæritur quid sit, eius uis naturaq; in telligatur. Facit enim quosdam gradus, & quasi aditus patefacit, per quos animus & co gitatio felicißime & quàm ocyßime efferun tur ad rerum cognoscendarum rectam ratio-nem. Porro nunc rationem intelligi uolo me-thodum quandam, hoc est certum & perspi-cuum ordinem & immutabilem uiam inuenien di curandi'ue morbos. Hanc quidem nemo un quã mea sententia planè consequetur, nisi pri us (quemadmodum nuper instituendo seriem rerum dicendarum insinuabam) quid sit mor-bus in uniuersum perceperit, & exactißime cognouerit. Propterea qui principiò utitur breui & accurata definitione, is inuolutæ rei

potestatem aperiendo proponit ac sistit orationem, quæ alioqui errare & uagari cogeretur, & ad id quantum est utilis diuisio distributio'ue rei in proprias differentias, usque dum ad extremas species uentũ est. Exemplo tibi esse poterit literarum integra partitio, ex qua eas & esse uigintiquatuor diligentes Grammatici compererunt, & dilucide exponendo proprias cuiusq; uires demonstrauerunt. Porrò diuisionis primordium, quod à summo genere ortum habeat necesse est, à morbi notione de qua informata, communi & usitato nomine, conuenit inter omnes homines, cõmodissime ducitur. Si igitur morbum nominauero malam affectionem, & illã quidem mente fingã, atq; in animi notione tanquam in uestigio reponam, quæ naturales corporis functiones primùm impedit, nec insolenti uerbo utar, nec ab omnium opinione alienã notitiam habebo. Nam hoc est in more positum cunctis hominibus, ut quando cernunt aut sentiunt aliquam corporis partem functione sua plus minus'ue destitui, tunc eam dicant ex

mor-

morbo laborare, atque præstò esse aliquem medicum cupiant, qui restituere, & ad pristinum naturaleq́; officium reuocare posit. Ex quo liquet, et in dictione consentire, quia morbum nominant: & eandem notionem habere, quoniam animo & cogitatione impedimẽta proxima actionum orta de malo affectu cõpræhendunt, & simili notata nomine significant. Vnde non ab re quidã corpora ægra sanitati illa esse restituta dicere consueuerunt, quæ non impediuntur, quo minus faciant officium suum, quemadmodum actiones naturales postulant. Contrariorum enim par est ratio. Si igitur constat morbum esse impedimento actionibus naturalibus, in res quæ sunt præter naturam posse referri certum est, & sanè quàm perspicuum: rerum autem quæ naturæ cursum & propositum interpellant, unũ cõmune genus est, quod græcis dicitur tum διάθεσις παρὰ φύσιν, tum κατασκευὴ. id latini affectũ, & plerunq́; affectionem præter naturam uertere consueuerunt. Bonfad. Cur non potius πάθος, aut πάθημα, aut ὑγίειαν nominas? For-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

in tabulas referes, aut nihil, aut minimũ in hac arte proficeres. Bonfad. Atqui non opinor te uerba consectari, quæ nõnullis miro studio & immenso labore colligi uulgò constat; sed magna diligentia sentẽtias & quasi quædam profata obseruare, id quod mediusfidius multis uiris, & illis quidem illustribus, qui totum nomen hac nostra memoria sibi uendicãt in medendi scientia, placere accipio. Cass. Quos tãti nominis uiros significet hæc tua oratio, non planè intelligo. Bonfad. Nomini parcere, quàm stomachũ alicui mouere æquius est. nosti enim hominũ ingenia, de quib. etiam si rectè sentias, ubi semel suspicari cœperint, omnem suspicionem in te cõmouent, atque in deteriorem partẽ quicquid de se dici audiunt, omne rapiunt. Cass. Sanè uerò, ut ait Comicus, Obsequiũ amicos, ueritas odiũ parit. Et fortasse illos conscientia timidòs suspiciososq́; facit: sed quales quales sunt, authoritate sua non poterunt me permouere, ut potius quid ipsi faciãt attendam & sequar, quàm quod certa ratio docet & ostendit. Verisimi

le

le quidem est, huiusmodi genus obseruationis multum proficere ac ualere ad memoriæ ostẽtationem, & inanem gloriam: sed ad exquisitam morborum inuentionem & iudicationem parùm conferre, certumq; est & perspicuum. Cognoscas enim licet ex ijs non paucos, qui cum simili modo studia instituerint, in conuentu hominum more psittacorum perstrepant, & perpetuò, inquit Galenus, inculcantes iure optimo à doctis rideantur: et præter quàm quod se propināt sapientibus irridendos etiã produnt, ingeniiq; sui motum remorantur, & miseri ac infelices sunt: quippe qui de suo nihil promant, sed semper aliena imitentur. atque utinam imitandi artem tenerent: quam quidẽ ne consequi poßint, in caußa est insana quædam cupiditas cogendi & coaceruandi innumerabiles sententias. Sed hoc suum coaceruare, quid aliud per Deos immortales est, quàm colligere uentum, & plausum popularẽ quærere? Hæc non est uera imitatio, hac uia non deducimur ad medendi scientiam, sed aliam longè certiorem & tutiorem & breuiorem

insistere oportet, quam Galenus nobis commonstrauit. Bons. *Miror ni omnibus haec uisa uia est, praesertim cum iamdudum aetatem, ut tu refers, commonstrata fuerit.* Cass. *Desine mirari, amabò te. an nescis patres nostros ita à Musis & à Gratijs fuisse alienos, ut etiã inuentis frugibus, uesci glandib. uoluerint? Vnde mirum tibi uideri non debet, si plurimi hoc tempore, qui rudem illam antiquitatem amant, id cibi genus nõ aspernãtur, maluntq; uitam agrestem quàm urbanam agere. Iis quidem patuit aditus in syluas & querceta et uepreta, iter uero ad amoenos et iucũdos et amabiles hortos Mussarũ interclusum est. Assueti enim iam inde à pueritia procedere inepta & deterrima uia, de optima atq; commodissima declinauerũt. Atq; si Dijs placet, uetus consuetudo tantum potuit, ut in illis iam natu grandibus uim naturae obtinuerit. Quo fit ut tantum abesse putem, ut uiam quae recta ostenditur, uidere potuerint, ut ne aspexerint quidem: sed si qui sunt, qui sanè pauci sunt, qui fortè eò diuertãt, illos insanire et prorsus caecutire*

eutire subitò conclament, ne longius abie-ris. Ego ubi primum cœpi dare operam me-dicinæ, circumuentus à quibusdam minu-tis medicis, penè adducebar ut crederem non aliam esse uiam ad medendi rationem, quàm quæ deducit ad solam uenationem sententia-rum, & aucupium uerborum. Propterea mul tum operæ, studij, diligentiæ, in eo ponere cer tum erat, nisi MONTANVS *dehortatus fuisset. Is etenim cũ propalam Methodũ me-dendi profiteretur non sine ratione demõstra bat, nulla in re magis conteri tempus, & (ut tritũ uerbũ est) operam & oleum perdi, quàm in obseruationibus coagmentandis. Deterritus itaq; studiorum meorum aliam longè rationẽ iniui, totumq;* MONTANO *expoliendũ me me tradidi: cui quidem duplici nomine plu rimum debeo, partim quod ea dedocuit, quo-rum magnam partem didicisse me iam pœni-tebat: partim quod certam methodum inueniẽ di curandi'ue, morbos commonstrauit. Vnde is sanè, posset æque altero tanto maiorẽ mer-cedem iure à me poscere & exigere, atque il*

le Orator apud Ciceronem à discipulis, quos dedocendos suspiciebat, poposcisse legitur. Bons. Agnosco perofficiose Cassi, gratã animi tui uoluntatem erga MONTANVM, *ut qui profitearis ingenue per quem maximè profeceris. Sed mediusfidius in te gratum me non minus fore senties, quàm te erga se ille sensit, si hanc ipsam edocere uolueris, quam methodum tu nominas. dabo etiam me in tuam disciplinam, et eo quidem libentius, quo maximos progressus in arte medica te fecisse audio. Cass. Quantum ego profecerim, aliorum sit iudicium. certò scio me multum laboris impendisse, ut mei præceptoris, quantum fieri poterat, uestigia insisterem, & quod bene longa & docta oratione exponebat, & indicabat, idem memoria et iudicio assequerer. quodcunque tamẽ sum assecutus, haud grauatè tecũ communicabo. Bons. O post hominum memoriã officiosissime & benignissime Cassi, nulla in re magis desiderabã experiri liberalitatem & officium tuum, quàm in liberalitate & communicatione huius artis, quam e-*

go

go arbitror te optime callere. Nihil enim cõfido me auditurum, quod ad ipsam capescendã pertinet, quin sit doctum, cultum, et industria elaboratum. Quamobrem perattentus futurus sum auditor: & quicquid es dicturus, idipsum quoad facere potero, memoriæ cõmendabo et consecrabo. Quando igitur uoles me communicare ista arte, semper paratum habes. Caß. Nunc maximè uolo & cupio, sed tecum paucis agam antè de utilitate quam percipies, quàm ad methodum inueniendi morbos aggredior. Præter enim opinionem omnium nostri temporis medicorum multas & incredibiles cõmoditates capies. Sanè ad pharmacorum inueniendorum usum atq; ad uictus instituendi formam non modo confert, uerum etiam ijs ipsis quæ inuenta sunt, mirificè bono est. Ecquis obsecro medicamenta pro genere morbi idonea inuenire potest: & postea ꝙ inuenerit, utrũ salutaria et ex usu futura sint, sine methodo rectè dijudicare, aut in tempore locis affectis remedia admouere, aut morbi caussas, motus uarios, symptomatum

innumera genera cognoſcere? aut euentus qui ſunt ancipites, magna ex parte præſentire & prædicere? Nempe in uiuis perpauci ſunt, ne dicam nulli, qui hæc omnia ſine methodo præſtare poßint. Huc etiam pertinet, quod ad mirabilis utilitatis fructum, quæ in artibus non quæritur neceßaria, animi quædam libera oblectatio accedit. quid namque iucundius & dulcius quàm de quocunque genere morbi propoſito, copioſe et ex arte poße loqui? Rurſum quid moleſtius & iniucũdius, quàm ſemper hæſitare, & nihil niſi de alienis cõmentarijs promere ac ſapere? Quid amabilius, quid item fœlicius eſt, ꝙ in illud ſtudiũ incumbere, quod tecum pernoctat, ruſticatur, peregrinatur, & domi foriſq; in tuam & in aliorum ſalutem conducit? atque adeò, nunquàm non minus ſolum hominem reddit, quàm cum ſolus eſt: non poßum mehercle pro magnitudine rei & excellentia ſatis oratione conſequi, quantas habeat opportunitates. Malo te experiri non ſine magno quidem tuo cõmodo, quàm nunc ex me intelligere, nec propterea, ſi qua difficul-

difficultas laborq́; discendi inter initia appa reat, deterreri te uolo, ne incurras in illā diffidentiam, quæ multos meos æquales negligentes reddidit, & ad Empirica cōpulit atq; induxit, ut temere errarent. Quod si mea quidē sententia tantam adhibuissent diligentiam, ut rem posse confici non diffisi fuissent, non erat cur rebus suis continuò desperarent. Habe igitur animum, & spera magnam inde nasci utilitatem, ubi principiò tibi summa incidit difficultas. Bonfad. Ergo qui istam methodum non callet, nullo pacto is erit medicis adnumerandus. Cass. Sic sanè. Bonfad. Perpauci igitur, si rectè coniecturam facio, reperientur. Cass. Maximè. Bonfad. Sed quî fit, cur in singulis ciuitatibus penè infinitam eorum turbam reperias, quæ passim tibi fit obuiam in stratis mulis, tunicata, & plerunque aeris inclementiam metuens benè petasata, adeò ut sereno cœlo pluuiam descendere, aliquādo sim suspicatus. Atqui non rarum mihi uidetur esse medicorum genus. Cass. Vides pallium quidem & barbam, at

at medicos non uides. Sanè multos conspicias licet Acesias imperitos, Menecrates insanos, Nicias infidos, Thessalos arrogãtes et furentes: nullos Aesculapios, nullos Chironas, nullos Asclepiades, paucos Acronas, Aristogenes, Philippos. Bonf. Itáne est ut dicis? Cass. Equidem cuperem dicere mendacium, quoniam multo fœlicius & præclarius ageretur cum mortalibus, et nũc, & in posteritatem, quàm non multis antè annis actum est. idq; profectò æquiore animo esset ferendum, nisi improbitas illos grauiter impudentes efficeret, ut qui medici nomen ementientes in figura humana, immanitatis & carnificinæ formam gerant. Quocirca bono medico nil melius, malo terra nil peius creat. Bonfad. Mirum quantum errabam. Posthac dabo operam, ne quemuis medicum esse credam, & salutem. Cass. Rectissimè mea quidem sententia facies. Hoc enim nomẽ cum sit sanctum & uenerabile, non unũquemque decet, nec omnibus conuenit, sed ijs duntaxat, qui secundùm Deos hominibus maxime

me poßunt eße utiles. Bonfad. Verò. Sed quid tu mihi dicas consilij? Vnde opem petere suades, ut ne sim futurus in falsis & ementitis medicis? Caß. Methodũ Galeni fac amplectaris, ames, magni æstimes, in eam omni studio incumbas, eam omnibus in rebus agendis in consiliũ adhibeas, reputesq; cuncta præsidia ex ea quæri & comparari. Bonfad. Probè admones. Verum qui amare illam possum, cum quid sit nondum mihi constet? Caß. Si quid sit quæris, nomen ipsum planißimè tibi ostendet. Bonfad. Age mecum planius & rudius, quoniam quorsum spectet tua oratio, uixdum intelligo. Caß. Dico ego, ex nominis notatione & uim & naturam rei manifestè aperiri. inde enim methodus dicta est à ueteribus scriptoribus, quòd est ὁδὸς καθόλου μία ἁπάντων κοινὴ τῶν κατὰ μέρος. *Bonfad. Obscura sanè definitio est, obsecro te explica eam planius. Caß. Non exprimam uerbũ è uerbo: non enim poßim latinè. sed explicabo sententiam. Methodus est communis et absoluta omnium rerum ratio, quæ ad singula-*


res & proprias cuiusque uires gradum facit. Bonfad. Optime iam rei potestatem teneo, at uis'ne, ut de ea ego te percuncter? Cass. Sanè uolo. propterea quod ad inueniendi curandi'ue morbos rationē promoueri exoptas: idq; fiet commodissime ex interrogatione, uicissimq; responsione, quemadmodum fuit laudabile institutum ueteris Academiæ, quod quidem Socrati magnopere placuit, qui percunctando atq; interrogando apud Platonē elicere solet eorum opiniones, quibus cum edisserit. sed obsecro te, si fieri possit, effuge minutas interrogatiunculas, quasi puncta & aculeos Stoicorum, quas ignauas & inertes potius nominare ego soleo, quàm solertes & ualidas: quoniam magis ad argutandum & cauillandum, quàm ad perdiscendum conueniunt. Iam uero ne desit tibi rerum sylua, de quibus singillatim etiam suo loco possis percunctari, ordinem sine aliqua concertatione uerborum sic instituam, ut nihil aberres. Principiò itaque sciscitari licet de morbo, quid, & ubi sit, atq; etiam de eius caussis & symptomatibus,

matibus, deinde horum omniũ signa quæres, et memoria tecũ repetendo excuties, posthæc de morbi euentu communi appellabis. Bonf. Cum illius rei ordinem de qua mihi fas est cõsulere et sciscitari pulcherrime et breuissime disposueris, quæso igitur, quid est morbus? Cass. Peropportuno loco interrogas. nam semper à definitione est sumendum initium, ut quod quæritur quid sit, eius uis naturaq; intelligatur. Facit enim quosdam gradus, & quasi aditus patefacit, per quos animus & cogitatio felicissime & quàm ocyssime efferuntur ad rerum cognoscendarum rectam rationem. Porro nunc rationem intelligi uolo methodum quandam, hoc est certum & perspicuum ordinem & immutabilem uiam inueniendi curandi'ue morbos. Hanc quidem nemo unquã mea sententia planè consequetur, nisi prius (quemadmodum nuper instituendo seriem rerum dicendarum insinuabam) quid sit morbus in uniuersum perceperit, & exactissime cognouerit. Propterea qui principió utitur breui & accurata definitione, is inuolutæ rei

potestatem aperiendo proponit ac sistit orationem, quæ alioqui errare & uagari cogeretur, & ad id quantum est utilis diuisio distributió ue rei in proprias differentias, usque dum ad extremas species uentũ est. Exemplo tibi eſſe poterit literarum integra partitio, ex qua eas & eſſe uigintiquatuor diligentes Grammatici compererunt, & dilucide exponendo proprias cuiusq; uires demonstrauerunt. Porrò diuiſionis primordium, quod à summo genere ortum habeat neceſſe est, à morbi notione de qua informata, communi & uſitato nomine, conuenit inter omnes homines, cõmodiſſimę ducitur. Si igitur morbum nominauero malam affectionem, & illã quidem mente fingã, atq; in animi notione tanquam in ueſtigio reponam, quæ naturales corporis functiones primùm impedit, nec insolenti uerbo utar, nec ab omnium opinione aliená notitiam habebo. Nam hoc est in more poſitum cunctis hominibus, ut quando cernunt aut sentiunt aliquam corporis partem functione sua plus minus ue destitui, tunc eam dicant ex

mor-

morbo laborare, atque præstò esse aliquem medicum cupiant, qui restituere, & ad pristinum naturaleq; officium reuocare poßit. Ex quo liquet, et in dictione consentire, quia morbum nominant: & eandem notionem habere, quoniam animo & cogitatione impedimẽta proxima actionum orta de malo affectu cõpræhendunt, & simili notata nomine significant. Vnde non ab re quidã corpora ægra sanitati illa esse restituta dicere consueuerunt, quæ non impediuntur, quo minus faciant officium suum, quemadmodum actiones naturales postulant. Contrariorum enim par est ratio. Si igitur constat morbum esse impedimento actionibus naturalibus, in res quæ sunt præter naturam poße referri certum est, & sanè quàm perspicuum: rerum autem quæ naturæ cursum & propositum interpellant, unũ cõmune genus est, quod græcis dicitur tum διάθεσις παρὰ φύσιν, tum κατασκευή. id latini affectũ, & plerunq; affectionem præter naturam uertere consueuerunt. Bonfad. Cur non potius πάθος, aut πάθημα, aut ἐνέργειαν nominas? For-



tasse significantius illud notares & expri-meres, quod animo comprehendis. CASS. *Atqui magni interest, hoc'ne, an illo utaris nomine.* EGO *quidem appositè, nisi me mea fallit opinio, pro re constituta loquor. Nam genus ipsum, quem nuncupauimus affectum præter naturam, sui similes communione quadam, sed differentes, tres complectitur partes, quarum alia uocatur morbus, alia caussa, alia symptoma. Et sanè is affectus de quo fit mentio, est qualitas quæ ex corporis mutatione nata, firmißimè sese sistit, atque suo nomine ueluti quædam uniuersa natura, & morbum, & caußam, & symptoma communicat. & licet sanitas affectus permanens sit, non tamen est is ipse præter naturam, de quo in præsentia orationem meam instituo. At uerò* ἐνέργεια *est motus, qui prodit quidem è corpore, sed non consistit, quin continenter labitur & fluit: atque dum cietur, interea esse dicitur: simulac uerò desijt, & exactus est, nusquam omnino constat. Idem quoq; motus pro uarijs fi-*

nibus

nibus motionis nomen mutat, ita quidem ut motus rei afficientis, dicatur ἐνέργεια: *eius autem quæ afficitur,* πάθος, *siue* πάθημα *nuncupare tibi potius libeat, non multum laboro, quia inter hoc & illud nomen interesse nihil arbitror. Cum itaq; morbus stabilis & fixus consistat, iure optimo appellari potest* διάθεσις *præter naturam, quæ proximè uitiat actionès naturales. Hoc porrò uitium aut est in temperatura, uel sola, uel iuncta cum humoris affluxu: aut in compositione, aut in dissolutione continuarum partiũ. Temperatura est uel calida, uel frigida, uel sicca, uel humida, uel ex his cõiugatis simul cõsurgit. Humoris genus, qui affluit, sanè multiplex esse potest. etenim aut sanguis, aut alterutra bilis, aut pituita redundat, aut commisti succi inter se funduntur. Viciatur compositio ab indecenti magnitudine plus iusto aucta, aut diminuta, uel positura, uel consensu similium partium, aut à numero superuacaneo uel defecto, aut à praua cõformatione. At uerò dissoluuntur tam partes similes quàm dissimiles, quãdo nimi-*

nimirum diuelluntur, exulcerantur, franguntur, conuelluntur, abrumpuntur, comminuuntur. Iis igitur positis & constitutis, quæ possem lõga oratione persequi, si haberem in animo minutissima quæque amplecti, manifestum est tria minimum genera simplicium morborum consurgere. Cõpositi enim qui actiones à natura ortas, magis minus impediunt, ex illis ueluti stirpibus fundati succrescunt & conspirant. Bonfad. Percipio, & satis firmè menti hæret natura morbi: sed actiones corporis natiuas nondum assequor, quæ sunt obnoxiæ impedimentis. Cass. Apage sis, nihil præteribo quod me rogabis. Actiones sanè ut sine corpore non consistunt, sic earum uitia sine affectu præter naturam ullo pacto esse nequeunt. Ideo maximè idoneo loco scire desideras, quæ actiones lædi possũt. Multæ enim ac diuersæ sunt. alia nominatur uitalis, alia naturalis, animalis alia. uitalis quidẽ in corde suum domicilium posuit, regens atque moderans uitæ cursum, dans etiam signa certis arteriarum ictibus, quanta ui & potestate in

hoc

hoc pusillo altero orbe polleat. Animalis uerò in cerebro tanquam in summa arce consedit, toti corpori & motum & sensum per neruorum propagationes inuehens. Huic facultas uidendi, audiendi, gustandi, olfaciendi, tangendi, nata est. Hinc animo fingendi uis, & iudicandi, & memoria repetendi ortum habuit. Hinc potestas sequendi utilia et commoda, rursumq; noxia & incommoda fugiendi, uitandi, declinandi tradita est. Naturalis etiamnũ multiplicem habet usum, multifariamq; suas ostentat uires, quippe quæ suppeditet facultatem appetendi, concoquendi, digerendi, alendi, retinendi, alterandi, expellendi. Ex quo liquet actionem esse ex illius genere motus, qui ab aliena ui minime cietur. Quomodo enim ab auibus ipsis proxime capit suum primordium uolatus, atque incessus ab animantibus, quæ gradiendo aut serpendo ad pastum accedunt: sic propemodum actiones nõ aliũde edũtur, quàm à corporis partibus, & illis quidem similibus, quibus dissimiles in opere diligenter faciendo sunt usui. Quid cũ

Atticus ille traijciebatur naui ex Pyrrheo in Suniũ, existimas'ne motũ de se promere? Bonfad. Minime, sed aliunde accipere, atq; ab externa ui perpeti. Caß. Quid si in Pyrrheum eidem licuißet pedibus reuerti? Bonf. Non extrinsecus impulsum iri ad motionem, sed à se, rationi uidetur mihi maximè consentaneũ. Caß. Ita uolo tibi persuadeas, non aliunde quàm è corpore huiusmodi actiones prodire. Bonfad. Rectè suades: nec aliter hunc motum cieri opinor, quàm tu peraccommodato exemplo demonstrasti. Quando uerò impeditur, quid obsecro te est in caußa? Varijs enim modis impediri conspicimus. aut intercipitur, & intermoritur, aut plus minus læditur, id propterea non mihi fit credibile temere & sine caußa euenire. Caß. Rem ipsam attigisti suspicione. Oportet enim eße cur patiatur iniurias eas, quæ poßint illius cursum remorari, ac plerunq; interuertere, & abolere. Caußa porrò duplex est: altera quidẽ προκαταρκτικὴ, altera uerò προηγουμένη, hoc est, ut uerbum de uerbo reddam, primitiua

tiua & antecedens. illa sanè externa est, hæc autem interna: quæ rursum diducitur in caussam remotam & proximam. Externam uoco, res omnes, quæ cum extrinsecus accedãt, usu & effectibus suis aut iuuant aut impediũt naturam & eius facultates: cuiusmodi sunt, aer, exercitatio, cessatio, cibus et potus, somnus & uigilia, inanitio & redundantia, animi commotiones, et id genus reliqua, quæ usus sui uarietate salutaria aut noxia sunt. Antecedens autem caussa, & illa quidem interna ac remota, nondum efficit morbum, sed ut efficere possit medico timorem inijcit. At uerò proxima, quam uulgus medicorum coniunctam uocant, iam morbum facit, & alit. Hanc quidem quo nomine appellauerint prisci & boni medici, adhuc non habeo compertũ. rem tamen ipsam eos cognouisse, nulloq́; aperto uocabulo expressisse, inde facio cõiecturam, quòd Galenus tametsi uno utitur nomine, bipartitò tamen idipsum per quod corpus est in morbo, diuidit, atque ita plana & perspicua oratione persequitur, ut unam & item

alteram caussam internam descripsisse, & oculis quasi subiecisse mihi uideatur: itaq; proximam eam esse dicas licet, secundum Galeni sententiam: quae quidem cum adest, tunc quoque actionem naturalem impediri, uicissimq; quando abest impedimento uacare etiam necessum est. Quin ipsa morbus est, à quo proxime uitiari corporis functiones non sine ratione antea commonstraui. altera etenim caussa non primum & per se, sed deinde & per aliud uitiat corporis actiones, nempe per consensum illarum partium, quae male afficiuntur. Propterea uim suam aliunde demittere, atq; ab illo, quem commouet, morbo disiungi aliquo interuallo censetur. Bonfad. Videris meo quidem iudicio hactenus & caussarum genus distinxisse, & naturam morbi declarasse. Sed hoc uellem prius exemplo fieri planius, quàm pergas reliqua inquirere ac definire. Cass. Faciam: uerum oportet te omnia meminisse, quae paulo superius commemoraui. Bonfad. Nihil dubita, quin cuncta satis firmè memoria custodiam. Cass. Perpulchre

chrè, sic cætera fœlicius suo loco commonstrã da aßequêris. Cum igitur memineris ex definitione tradita & morbum & caußam eße affectum præter naturam, exemplum sumemus ab Herculis comite Philocteta, ex quo liquidò tibi cõstabit, quomodo morbus primũ uitiat actiones naturales: caußa autem antegreditur morbum. Cum igitur Philoctetes proficiscens ad excidium Troianum, luculentum uulnus accepißet in pedem, diris cruciabatur doloribus. Siquidem ab euulsa sagitta de repente magna incubuit plegmone, qua quidem præpeditus nõ modo ex Lemno oram soluere non poterat, sed nec ingredi, neque consistere. Eo tempore ecquis obsecro, tam uecors & stupidus extitißet medicus, qui negasset pedem eße locum affectum? uulnus uerò morbum: morbi caußas, alteram quidem fuisse externam, nimirum sagittam, alteram autẽ internam, ueluti seminarium & fomitem ægrotationis, impedimentumq́; primum aut ægri inceßus, aut omnino aboliti, sanè phlegmonem, & quicquid posthæc sequebatur: qualis

erat rubor, tentio, & altus tumor, id omne symptoma fuisse? Bonfad. Nullus, mea quidem sententia, qui discrimen inter caussam morbumq; cognouisset: quod tu paulo antea definiendo ostendebas, quamuis de symptomatum differentijs non apertè quicquam dixeris. Cass. Non dixi propterea, quia necdum quo uolo perueneram. Supererant enim pauca quædam, quæ ad illarum rerũ quæ sunt (ut præfatus sum inter initia) præter naturam, pertinent inuentionem. Iis quidem adnumerauimus symptomata, quæ morbũ perinde consequuntur ac umbra solet proprium cõsequi corpus. & ideo non erit alienum præsenti instituto disquirere, quot modis possint insequi. inde enim fiet, ut uel me tacente omnia symptomatum genera ultro tibi sese offerant & ostendant. Itaq; alia necessariò & perpetuò ipsum morbum comitantur: quemadmodũ conspicimus cum membrana, quæ succingit costas, afficitur, & ex phlegmone laborat. Tunc sanè dolor continenter fodicat latus, febris torquet, anhelitus grauiter fiunt, tussis

molesta

molesta est, pulsus arteriarum durus exploranti & tractanti manifestè apparet. Alia autem magna ex parte coniunguntur, ut quod in eodem morbo membranæ, dolor petat iugulum, aut descendat in hypochondria, hoc aliquando euenit. Alia etiam multo pòst sequuntur, quàm incipit latus phlegmone tentari. nã quod materia illa quæ infestat latus, aut suppuretur, aut excreetur, id sanè à morbo ipso contingit. Bonfad. Strictim omnia, quemadmodum exoptabam, perstrinxisti. nũc proximum est, ut de signorum generibus ex quibus & morbi et caussæ distinguuntur, qua soles breuitate & uerborum perspicuitate, initiò dicas. posthæc (quod tuo fiat cõmodo) ad methodum cognoscendi morborum uarios euentus aggrediaris licebit. Cass. Peropportunè commonefecisti, huc ego quoq; defigebam cogitationem, atq; animum conferebã, ne ab ijs quæ à principio constituta sunt, nostra aberraret oratio, longiusq; progrederetur, quàm breuis postulat scribendi ratio. De signis igitur dicturus, à rei natura capiam exordium.

ordium. Bonfad. Vt lubet, ego quidem opinor te non poſſe commodius aliũde auſpicari. Caſſ. Signa ſunt ex illis rerum generibus, quæ ſub idem iugum cadunt, atq; inter ſe mutuum habent reſponſum. Propterea quicunq; eorum naturam certò ſcire deſiderat, eum oportet intelligere quò referantur, quid'ue deſignent. Ex re etenim qui cum conferuntur, numerus etiãnum ducitur & propagatur. Quo circa res aut præteritas ad memoriam ſigna reuocant, aut præſentes indicant, aut conſequentes prænũciant: illa quidem Græci ἀναμνηστικὰ nominant, hæc uerò poſtrema duo διαγνωστικὰ, & προγνωστικὰ nuncupant. De ijs tribus generibus non omnibus dicam, ſed primũ in præſentia omittam, & meæ inertiæ condonabo. alterum, & item tertium, ut quæ ad inſtitutum opus magnopere conueniunt, & obſcuritatis non parum habent, & artificioſæ præſentionis plurimum, aperte ſi potero exponam. Verũ quia utrumque genus ſic coniunxit natura rerum, ut ſolum τῇ χέσει, hoc eſt habitudine differant, iccirco de uno commodè loqui

loqui me poſſe diffido, niſi de altero ſimul colloquar. Bonfad. Mallem exemplis hanc differentiam illuſtrari, quàm ratione aliqua aperiri & confirmari. Caſſ. Ne igitur longius abieris, tecum cogita quæ oculis ſæpe uſurpaſti. Bonfad. Variæ rerum ſpecies cottidie mihi feriunt ſenſus, quos plerunque animo obſeruare ſoleo. Caſſ. Spectaſtı́ne aliquando in urinis quaſdam ſquamulas? Bonf. Creberrime, & illas quidem furfuri ſimillimas innatare uidi, atq; quid ſibi uellent ſemel et iterum à medicis perquiſiui: ſed quid reſpõderint, nunc mihi non uenit in mentem. Caſſ. Quid aliud reſpondere potuerũt, quàm quod ea ramenta, cum in lotium redduntur, tunc ueſicam derodi & exedi ſignificant? Atque adeò, niſi ſuccurratur, ulcus paſſuram portendunt. Non deſunt huius generis penè infinita exempla. Unde tu poſſis dijudicare, quid intereſt inter ſigna, quæ rem præſentem conſignant, quæq; futuram intentant, utraque in ramentis cadentib. cum urina notata ſunt. Ideo pluribus exemplis ſuperſedeo, quoniam in re

E *aper-*

aperta diutiſsime cõmorari non eſt operæpre cium. Quin locos potius, ex quibus ſigna depromi poſsunt, oſtendere perneceſſarium mihi eſſe uidetur. nam earum rerum quæ abſcon ditæ ſunt, demonſtrato & notato loco facilis inuentio eſt. Itaque loci ſunt alij ἔντεχνοι, alij ἄτεχνοι, hoc eſt alij artificioſi, alij artis exper tes. Bonf. Dic artificioſos. Caſ. Sunt illi omnes, qui in ea ipſa re in qua verſatur medi cus, hærent & includuntur. Expertes artis partim aſſumuntur extrinſecus, partim inſiti ſunt. Bonfid. In re qui'nam hærent? Caſ. Actiones læſæ, excretiones, ſymptomata cõ munia, morbus, natura. Bonfid. Quot ex trinſecus aſſumuntur? Caſ. Octo. Bonf. Cedo. Caſ. Aer, regio, partes anni, ratio uictus, iuuãtia, lædentia, cauſæ externæ, pa rentes. Bonf. Quot ſunt inſiti? Caſ. Sex. Bonfid. Numera. Caſ. Temperatura, ætas, ſexus, animi affectus, conſuetudo, ſtudium. Bonfid. Rectè teneo locorum numerũ: ſed modum inde petendi ſigna nondum intelli go. Caſ. Facilis ipſi eſt, qui in numerato ha

bet

bet locos. Bonfad. Age obſecro mecũ pla nius,& periclitare exemplis,initio,ſi tibi uidetur,ſumpto ab actionibus,quarũ multo ante quàm ad ſigna conuerteres orationem,meminiſti. Caſ. Cum mihi perſuadeam,tibi id altè animo inhærere, quodcunq; dixi ſupra de triplici actionum genere,non eſt quamobrem eadem repetendo longũ faciam. Abundè enim credo tibi factum erit ſatis,ſi actionum aliqua impedimenta (cuncta perſequi ſit propemodum infinitum)breuiter retulero. Ex ijs ſpon te tua reliqua cognoſces, quæ tibi notabunt & ſignificabunt morbi certas & cauſſas, & ſedes. Ne lõgius abieris, cogitatio impedita quidem, quo minus ad ſuum arbitrium fabricetur aliquid & architectetur,indicat anteriorem capitis partem obſideri frigore: abolita uero,& æſtuare,& incendio corrumpi ſignificat. Deprauatio iudicij,opinionũq; uanitas ſatis eſt ſigni,mediũ caput,ubi recta iudicandi ratio quaſi domiciliũ ſuum poſuit,grauiter perpeti. Aeger qui præter ſolitũ memoriæ beneficio adaugetur,quẽadmodũ argumento

est occiput siccius euasisse: sic quoque qui uenit in obliuionem, ut nulla penè sit memoria, signa expressa & non adumbrata ostendit, eãdem capitis partem iusto plus madere, atque algere. Aspectus aeris & oculorum mobilitas, caussam esse calidam indicat, frigidam uerò segnities, & torpor, propterea quòd intercluduntur, & frigore quasi conglaciant meatus, quo minus ad oculos diffusi spiritus ferantur. sed quid pluribus moror? Reliquorũ itidem sensuum incommoda & offensiones sua signa dabunt, quæ tu ipse nullo negocio poteris adnotare, si modo quid sit commune sensibus cum cerebro, ante omnia animum attendere uolueris, & certum perspectumq; habere. Et quis motus celeris, aut tardi, quocunq; cieri in loco conspexerit, protinus caussam non agnoscat? & multo manifestius quàm à me referatur. Quis nescit, cum feruent ira & leui de caussa commouentur ægri, tũc in corde sanguinem æstuantem magnopere agitari? aut cũ reformidant, & (ut aiunt) propriã metuunt umbram, frigere penitus ac desidere?

Ex

Ex arterijs etiam uitalis facultatis signa & notas habebis. Crebri enim motus imbecillitatem eius demonstrãt & notant, pariterq́ caloris feruorem plus atq; plus uirium acquisiisse. Magni uerò ictus mirã fortitudinem ac robur ostendunt. Materiæ quoq; genus, per quam uitæ autor, ipsum cor, & in morbo est, & conficitur ad diuersos hosce motus æstimare opinione mea poteris, utrum supra modum sicca sit, an frigida, an calida, an humida. nã pro eius genere & modulo saliunt sub pollice uarijs rhythmis arteriæ. Repetũtur et à facultatib. naturalib. propria signa, quæ mirifice uariant, & mutantur. Qualia enim sunt beneficia quæ cõferũtur ab illis in partes corporis, quibus data uis est ut nutriantur, attrahendi, continendi, concoquendi, expellẽdi, talia apparere signa oportet. Hic plurima recensere possem, sed ad alios locos festinat oratio. Ab excretionis essentia, tẽpore, qualitate, magnitudine sumuntur indicia. Essentia quidem aut toto genere, aut aliqua ex parte est præter naturam. Quod pus uel ra-

mentum aliquod è naribus egrediatur, prorsus naturæ consilio id aduersatur. Quod itidem ore pituita excreetur, aut è uesica urina reddatur, quia per idoneos sitius exitus'ue excernitur, iccirco natura non esse alienum iudicatur. Verumtamen quando aut modum non facit, aut mutat formam propriam, hoc ipsum quod commodo ductu excutitur, non omni ex parte, sed quoquo modo repugnare planissimè cõstat. Tempus uerò excretionis etiã obseruandum est, sua etenim signa certaq; ostentat. Ecquis non conijcit, quando statis horarum curriculis corpore agitur materia, et foras quatitur, morbum constantem pertinacemq; fore? Rursum incertas cum seruat periodos, nec dum eum constitisse aliqua in sede, neque alte hæsisse, cuique sit credibile & probabile. Iam uerò qualitas magnam copiã signorum tibi suppeditabit, si omnes eius species diligenter scrutaberis. Quæ tactum mouet, talem esse caussam, quæ morbum alit, qualis ipsamet est, planè demonstrat. si calida est, morbi autorem esse calorem significat: si frigida,

frigida, frigus: si humida, humorem: si sicca, siccitatem. Color niger designat excellentiā bilis atræ, albus pituitæ, liuidus omnino putrescentis succi. Fragor, qui in anfractibus aurium sentitur, flatulentum & humentem plus iusto humorem esse, indicium dat & facit. At uerò sonus qui citra ullum stridorē auditur, flatum duntaxat infestare satis signi est. Sapor qui gustatu salsus percipitur, pituitam adustam putremq́ue, insipidus autem frigidam potius quàm dulcem testificatur. mitto saporem amarum, dulcem, acrem, acidum, acerbum: mitto odores uarios, & cæteras species qualitatis, quoniam quid cuiq́ue significetur, multi uiri artis medicæ experientes memoriæ prodiderunt. Et ego quidem non habeo in animo congerere, myriadas signorum, sed indicare sedes illorum proprias, & quasi digitum ad fontem intendere. Vnde & quantū sat erit, & quantum te non pœnitebit, haurire possis. Institutum igitur opus tua bona uenia persequar, & quod sit reliqui absoluā perficiamq́ue, Dijs ipsis beneuolentibus. Dixi, ut

mihi

mihi uideor de excretionis substantia, & qualitate, sequens est ut paucis quantitatem complexus, ad symptomata simul & naturam morbi, orationem transferam. Porrò excrementorũ copia, quæ uno atq; eodem tempore deijcitur, fidem facit, uires expultricis facultatis magnopere uigere et cõsistere: ubi uerò perpauca, et illa quidem per interualla eijciũtur, multam coniecturam afferunt & impellunt ad suspicandum de aliqua harum trium caussarum, aut quòd est in corpore recrementorum mira paucitas: aut quod expellendi uis iã fatiscit, & languet: aut quod tanta moles loco incumbit, ut necesse sit paulatim transmitti & amandari. A symptomatibus & morbi genere simili quoque rationis modo signa petuntur. quemadmodum enim habitus, qui est constans ægrotatio, significat materiã, quæ est ueluti seminarium ipsius, esse ualdè frigidã & contumacem, sic mediusfidius χύσις, non admodum frigidam, sed blandam, mitem, mobilem, facilem, & naturæ dicto imperioq; audientem. & ut illud morbi genus uires corpo

ris

ris esse imbecillas monstrat, ita quoque hoc ualidas firmas'ue designat. Singulæ item qualitates symptomatum suis non carent notis. Calor quidem signum est materiæ, aut intemperiei calidæ, frigus uerò frigidæ, siccitas siccæ, et eodē modo humiditas humidæ. Facies tota data in ruborē, redūdantis sanguinis index est. Color flauus exuperantiā pallidæ bilis, niger atri succi, albus pituitæ commonstrat. Sibilus auribus molestus, flatulentam materiam consignat: undarum uero murmur, tenacem pertinacemq́;, & caloris imbecillitatem. sapor amarus bilem in capite efferuescentem, insipidus pituitam affluentem, læuitas summæ cutis materiam humentem, asperitas exarescentem demonstrat. Oculi subsidentes, argutæ nares, caua tempora, languidulæ genæ, figuram notamq́; moribundæ & cadauerosæ faciei insigniter exprimunt. Ac uero simili ratione à symptomatum quantitate distincta signa depromi notariq́; possunt, uti à plenitudine & inanitate tam uenarum quàm arteriarum, quamq́; aliarum partium. Venæ

quidem quæ oppletæ ſunt, & in tumòrem attolluntur, indicant multum ſanguinis, aut reliqui humoris plurimũ affluere. Arteriæ uerò quæ tument, multo flatu ſpirituq́ obſidentur. Quid rurſum inanes ſigni dent, rerũ contrariarũ ipſa ratio docet. Turgidi muſculi, multo humore perfuſi refertiq́ ſunt. Vomica quẽ occupauit, loci uires infirmas eſſe, pleniſſime probat. Hic conſultò locum affectum ſymptomate, tempus & motus uarios ſymptomatis prætermitto: propterea quod cuique uel artis medicæ imperito, qualia ſigna inde peti poſſint, manifeſtè cõſtat. Quis obſecro te, quãdo partes internæ dolent, non habet pro comperto ſigno, dolorem intus eſſe: uiciſſimq́ foris, quando externæ laborant? Nemo ſanè etiam dubitat, dolore qui nũquam intermittit, indicari morbum ex proprio affectu eſſe: ex conſenſu uerò aliarum partium plerunq́ pendere, qui per interualla exercet corpus. Nec quiſquam ambigit, quin motus celeritas teſtificetur, aut materiam feruere, aut locum qui patitur dignitate, uel ſenſus acumine excelle-

re:

re: et præsertim is qui probe nouit, ut facultas naturalis derepente concitatur, & ueloces incursiones facit in illud ipsum quod sentit esse corpori permolestum & exitiale. Atque hæc hactenus de locis qui hærent in re. nunc uenio ad eos quos artis expertes à principio esse dicebam: & propterea, quia haud multum artificij habent, non ero multus in dicendo, sed enumerando singillatim disponam, ne putes à me iccirco negligi quia silentio inuoluissem. quin etiã pernecessarios medico esse arbitror, atque mirandum in modum utiles ad morborum inuentionem, quos aut communi signo, aut proprio adducti disquirimus ac notamus. Ex uictus ratione, Dij boni, quàm facile est genus morbi intelligere. Cibi enim sicci & calidi, hoc est qui bilem multam aggerunt in corpore, morbos biliosos, ueluti tertianas exquisitas, febres ardentes, quas καύσους Græci nominant, ciere solent. At frigidi & humidi pituitosas ægritudines, sicci pariter & frigidi melancholicas pariunt: cuiusmodi Alexandrinos tentari præcipuè Galenus, & multo

ipsum Lucretius poeta memoriæ prodidit. Ii enim cũ lente, zytho, salsamẽtis, asinina uesce rentur, ex elephãtia morbo, quẽ ante tempora Cn. Põpeij nondũ senserat Italia, laborare cõ sueuerant. in id morbi genus procliuiores sunt Scythæ, quos uocant γαλακτοπόται, ꝙ Germani, quàm Mysi. Nec profectò aliam ob caussam hoc accidit, quàm propter ciborum genera. Non enim omnes nationes, neque omnes homines, eodem uictu utuntur. Nomades elephantis uescuntur, Agriophagi pantheris ac leonibus, Parthi et Mardi locustis. Alius est philosycus, hoc est mire appetit ficus, quemadmodum Plato appetijsse commemoratur. Alius, ut olim Nero imperator, porro, cepa, & alijs cibis acris saporis delectatur. Alij, ut Protogeni, mirifice sapiunt lupini. alijs alius gratus & iucundus est cibus. Ex quo mirum uideri non debet, si uaria morborum genera pro ciborum natura, quæ sunt peculiaria & nationibus & priuatis hominib˙ nascãtur. Regio etiam sua profert signa, quibus, suspicione attingit saltem medicus eos

morbos,

morbos, qui aut populatim grassātur, aut pro
prij sunt alicuius oræ. illos quidē uocat Hip
pocrates ἐπιδήμους, hos uero ἐνδήμους. Repe-
riuntur enim plerunque terrarum quidam sa-
luberrimi tractus, in quib. nūquam sæuit pesti
lētia, ut Locris et Crotone, si Vitruuio cre
dimus: cui multum equidem tribuo, & fidem
habeo. At sæpe uideas, qui oras maritimas
incolūt, eos elephantiasi grauiter tentari: qui
loca sub alpibus, & Pyreneis montibus inha
bitant, ijs semper molesta est pituita. alij in
locis alijs, proprijs afficiuntur & consumun-
tur morbis. Quamobrem magni refert, regio
num naturam, potestatemq; & incommoda
noscere, & fortasse non minus quàm uim qua
litatem'ue aeris, & animi partium intellige-
re. Cuncta tamen præstat quàm diligentissi-
me obseruare, ne iudicium quod fertur, pau-
cis coniecturæ notis confirmatum, aliqua ex
parte uacillet. Plurimi enim interest quale
sit cœlum, aut anni tempus. Sanè crassius aer
destillationes grauedinesq; excitat. idem quo
que agitatus flatu uel austri, uel aquilonis,

 mul-

multiplici inualetudine corpora conturbat. Autumno morbi lethales, uel diuturni, uere magis salubres, nasci solet. Mitto ea quæ iuuant, & lædunt, hoc est morbum minuunt uel depellunt, aut gignunt, uel exacerbant: mitto caussas externas, unde signa generis ægritudinum inueniuntur, & notantur. Mitto parentes, ex quibus morbi hæreditarij fiunt & noscuntur: ut parentibus ijs qui laborant ex articulis, natu.. si incidat in dolorē arthricum, metuendum est ab arthride. Bonf. Quid temperatura, non'ne ostendit indicia, et signa sua patefacit? Caß. Quidni? imò biliosa febribus tertianis obnoxia est, atq; alia suscitat alios morbos. Bonfad. Quid ætas? Caß. Singulis ætatibus certi morbi sunt magis familiares, quemadmodum longo rerum usu comprobatum est. Bonfad. Quid sexus? Caß. Nec is est à medico dißimulandus. Bonf. Cur ita? Caß. Quia plurimi refert utrum sit eunuchus an uir, mas an fœmina, nam eunuchi podagra non torquentur, nec calui fiunt. Neque mulier laborat poda-

gra,

gra, nisi menses eam defecerint. Bonf. Quid animi affectus? Caß. An nescis cogitationes diuturnas & altas curas plurimum bilis atræ congerere, & febres quartanas promouere? Bonf. Quid studia? Caß. Quid rogas? quasi nescias omnes studiosos fermè esse cacostomachos, & morbis pituitosis ac melancholicis esse obnoxios: atq; alios diuersis negocijs occupatos, & artibus deditos, uaria perpeti incommoda? Bonf. Quid consuetudo? Caß. Magnas habet uires, mi Bonfadi, ut certißimas ex se præbeat significationes. Quando Antipater Sydonius, poeta uetus, suo die natali decumbebat in lectulo, tum facile medicus coniecturam facere potuit ex consuetudine, in quem morbum inciderat. Eũ enim tradunt quotannis eo quidem die quo introiuit in uitam cõsueuiße febricula ipsa, quã Græci ἐφημέρον nominant, nostri diariam, affligi tantisper, quoad in longa senecta fatis cõceßit. Ptolemæus Philadelphus Rex Aegypti tentari podagra solebat: simili quoque morbo plerunq;, ut accepi, Carolus Panno-

niæ

niæ Rex laborabat. Ecquis uecors medicus; qui simulac audiuisset Reges conqueri de pedum dolore, continuò defixa mente in consuetudinem, negasset podagram repetere? usque adeò à teneris assuescere alicui morbo multũ est. Grauidis fœminis solent tunc menses ire, & plurimum lactis è mammis stillare, cum fœtus est in morbo. Quando igitur supprimuntur, licet conijcere fœtum bene ualere. Si cuicunque purgationes menstruæ solent reprimi, neq; febris neq; horror superuenire, sed fastidia accidere, ea uterũ gerit: uerisimile est cũ hæc omnia pateretur Aurelia, accepto semine, Cæsarem concepisse. Multis testimonijs confirmarem, quàm longe lateq; uis consuetudinis pateat, nisi mihi persuaderem te satis superq; cognoscere, quanto usui futura sit morbos inuestiganti atq; curanti uera methodus. Bonf. Magnam mehercle utilitatem hinc, & omnibus ex alijs locis percipi posse existimo. Sed de illis nihil meministi, ex quibus signa petũtur, dicta à Græcis πλογνωσικά. Cass. Nihil penitus loquendum esse duxi, propterea

rea quod ab ijsdem locis deprimuntur. Et qui illos norit, utrosque nouerit. Exponam tamen locos aliquos, ut poßis per te institue-re deinceps artem repetẽdi cætera signa, quæ de industria prætermittuntur: paranda quidem tum ex ijs, tum ex plerisque alijs locis, quos suprà commemoraui. Abunde satis erũt igitur tres loci, uel quatuor ad summum, ad te promouendũ instituendumq; in cæteris: nẽpe actio læsa, symptomata, figura, morbi qualitas, prædictiones & præsensiones rerum futurarum probabilibus notis docent & suppeditant. Sanè altus sapor, qui significat animales functiones præpediri, & grauiter lædi à frigidißima caußa, lethargum minatur. Rursum uigiliæ, quæ continenter ægrum cruciant ob uehementem cerebri æstum, diram portendunt phrenitidem. Rarus & interceptus anhelitus, prænunciat insaniam. Ex uenarũ pulsu uix credi poßet, quàm distinctè aduenientes morbos præcognoscant & intelligant boni medici. Ex symptomatib. sæpißime portenduntur significationes rerum, ut sitis longa &

continua, uentriculi phlegmonem cōfore tandem præsignificat. Frigida item præcordia id ipsum futurum præmonstrant. A figura etiam diuinandi prædicendiq́ue quæ sunt euentura rationem inire possumus, ut corpus extenuatum, macieq́ue confectum, & facies penè arida, horridam tabem fore testificantur. Mirari hic licet quæ sint à medicis animaduersa, et ex hac sede tanquam ex penu refertissimo deprompta signa, de quibus coniecturam ipsi faciunt & præsentiunt in posterum. Ex qualitate morbi, uix possum uerbis consequi, quantam utilitatem capies, quantas opes, honores, amicos parabis, quàm suspiciendum, admirandum, colendū te cūctis præbebis. Quippe qui dubios ægrotationū euentus antedicere poteris, & quasi diuinus uates antè paulo denūciare, sperandumńe sit de salute ægri, an potius desperandum, utrum exiguo tempore duraturus sit morbus, an posteaquàm longos adhibuerit cruciatus, mox sit abiturus. Nōne magna pollicetur hic locus? Bonf. Ita magna, ut hominem possit reddere alterum Aesculapium,

pium, aut Serapim in terris. Sed magnopere uereor, ut hæc quæ mihi uidentur potius spe-ctare ad uates, deos'ue, quàm ad medicos, poßim aßequi. Caß. Sis ociosus à metu. ex animi sententia, nisi hãc artẽ desinas, tibi procedent. Bons. Dij faxint. potius quiduis uel acerbißimum patiar, quàm eiusmodi inuentũ Deorum relinquã & deseram. Tu ipse testis es, quanto desiderio tenear: testis est locupletiß. Dominicus Castellus, iuuenis hercle & doctus, & benè moratus, quàm expetentißimus sim medicæ artis. ad quam eo sanè tempore quo philosophiæ mysterijs ambo initiati sumus, de repente animum adpuli: non tamen me totum sic addixi & dedidi, ut à sacra philosophia ueluti transfuga ad hãc deficerẽ, quin utrique nomen meum dedi, & sacramento dixi. Caß. Prudenter factum, mea quidem sententia. altera enim doctrina et morib. animũ ornare, altera autem amicos parere, & collocupletare, & fortunam adaugere qualemcunq; nunc poßides, teq; beatum, aut unum de paucis reddere poterit. Bons. Deo & for-

tunæ omnia committo, tu uero redi interea in uiam. Nam nescio quomodo aberrasti, & aliò tua deflexit oratio, quæ meam cogitationem quàm longißime à re instituta abducere incipiebat, & abduxißet quidem, nisi ostentata paulo supra spes præsagiendi, animo inhæsisset et admonuißet. Agedũ igitur id expone quod instituisti. Non minus etiã attentũ nunc, quàm antea, me fore recipio. Caß. Audi ergo, & animaduerte qualem tibi describendo proponã morbũ. Arbitror enim, ubi cognoueris eius curriculũ, patêre statim aditũ in prædictiones. Et sane ut nauigãdi doctus magister imbres, nimbos, procellas, turbines, cæterasque tẽpestates certo aliquo cœli signo prænoscẽs, antequã in alto iactatur, portum cogitat: sic qui morborũ aduenientiũ cursus probè intelligit, is quãta uis & ueluti tẽpestas ægro impẽdeat præsentiens, cogitatione præcipit uitæ spẽ, uel mortis timorem, quocirca talem fore exitum, uel breuem uel tardũ, uel bonum uel malum, longa obseruatione compertum est quale futurũ est genus morbi. Acutißimus namque

namq; morbus, nec expectatione boni diu suspensum tenet, nec longa desperatione confligit, sed quatuor diebus finitur: cuiusmodi est conuulsio, & tetanus. Peracutus septem dierum spacio solet terminari, ueluti febris synocha dicta à Græcis. Acutum autem quatuordecim dierum non egredi curriculum, Hippocrates ille Cous in Aphorismis scriptum nobis reliquit: quales sunt tertianæ illæ, quas Galenus ἀκριβεῖς nominat. Mediocris morbus amplius quadraginta dies nõ producitur. Chronicus mensibus plurimis, & sæpissime annis, ægrotos conficit longis cruciatibus. Malignus principiò quidem sese medico facilem & mitem præbet, sed progressu temporis uirus alit, & clandestinis insidijs oppugnat, & nullum prius iudiciũ de se ferri sinit, quàm exitium parauerit, & oppresserit. usq; adeò incertæ sunt eius notiones, ut dum ægroto anima est, plerunq; spem magnam faciat, & ostendat. Perniciosus nullam curam recipit, & manifestò affert mortem. Salubris is ipse est, in quo nihil desperandũ est, duce peri-

to medico, & auspice medico. In periculoso morbo, salutis dubia spes est, & in æqua lance pendet, ut boni medici cura & diligentia à morbo æger conualescat, mali autem culpa & inertia consumptus intereat. At uerò is periculo uacat, qui maiorem uitæ spem ostentat, quàm mortis metum affert. Est quoq; acutus, & ille quidem tropicus, qui si pertranseat quatuordecim dies, quibus exigi & absolui solet, ad uiginti usque decurrit: atq; hoc interim spacio, nisi sese sistat, ad diem uel quadragesimum progrediendo plerunque lateris abscessus molitur. id quod sanè Anaxionis exemplo Galenus Pergamenus sæpissime cõfirmauit. Bonf. Sed uide amabò, ne ista tua descriptione morborum, in acutissimos etiam referas febrem diariam, quippe quæ ocyssime finiatur. Cass. Parum attendis animum ad rei naturam. nam motus acutorũ morborum, de quibus tecum nuper sum collocutus, ueloces sunt, & oppidò quàm præcipites. non omnes quidẽ febres, quæ sunt breues, easdem esse acutas necessum est. Siquidem diariæ & aliæ fe-

febriculæ, quas caußa leuis ciet & fouet, exiguo temporis cursu, nisi delinquat æger, aut aberret medicus, soluuntur, & intersinguuntur. propterea inter acutas ægritudines recenseri, nulla ratione uolo. Bonf. Ergo celeritate motus dignoscũtur. Caß. Sic. Bonf. Motus uerò differentiam unde dignoscere potero? Caß. Non aliunde melius, & exquisitius, quàm ex symptomatibus, ex succorum uitio aut copia, ex corporis ægri habitu aut temperatura, ex facultate tum uitali tum animali, tum naturali. Bonf. Quomodo? Caß. Aduerte, te paucis edocebo. Bonfad. Doceri cupio. Caß. Res est cognitu facilis. quando enim dura ac grauia symptomata urgent, certum et omnino perspicuũ est, morbum accelerare, & præpropero motu ad exitum festinare. Ex quò potest experiens prudens'ue medicus antè prædicere, an æger sit uita deceßurus, an perfunctus periculo, ea quæ sibi adhuc superat luce fruiturus est: idq; æstimabit ad morbi tempora, in quibus humor crudus concoctus'ue spectatur, atq; ad crises tempe-

tempestiuas & intempestiuas. Pro succi autē corrupti genere, ac modo, cursus morbi producitur, aut cōtrahitur. Vsu enim iā ab hinc tot sæculis compertum est, ægrotationem ex pituitæ diutius, quàm flauæ bilis uitio extrahi, rursumq́; ex alterutrius paucitate, breuiori tempore, quàm ex copia terminari. Corpus itidem rarum & laxum, diu non suffert morbum, sed bene densum ac solidum ualidius obsistit, & conficitur serius. Temperatura etiam perutilis est ad prædictiones. Temperaturæ autem appellatione contineri nunc uolo corporis temperationem, ætatem, anni partes, cœli constitutionem, locum, regionē. Corpora igitur quæ nacta sunt temperationē calidam siccam'ue, quæq́; ætate florent, et sub cœlo æstuante regionem feruidam inhabitant, uerisimillimum est, aut subitò conualescere, aut morbo consumpta in quo diutissime esse nequeūt, interire. uicissim quoq; in acri hyeme, quæ frigidum locum incolunt, postquam ægrotauerint, tardius aut liberantur & sanantur, aut extinguuntur. At uitali illa ui coniecturam

tecturam licet etiam facias, ut an pulsus uenarum sit magnus an paruus, frequens'ne an rarus, durus an mollis, an alio & subinde alio uariet modo. nam pro se quisque motus testificatur progressum morbi, & exitum. Facultas identidem animalis maximo usui tibi erit, quotiescunque expendes animo, & dijudicabis utrum motus & sensus, qui ab ea proficiscuntur, & toto se miscent corpore, excellenter uigeant, ac ualeant, citoq; excitentur, an iaceant, stupeant, torpeant. Iam uerò et facultas naturalis mirifice ad hoc ipsum conducit, præsertim cum eius officium, quod æstimatur ad actiones pro corpore obeundas, exactè cognoscitur. Prout enim concoquit, digerit, materiam inutilem depellit, utilem segregat, & pro alimento continet, & recondit; sic diligens & solers medicus, quæ sunt futura potest intelligere, & in uulgus indicare. Audisti itaque morborum uariãtes cursus, unde possis signa prædicendi repetere. Tu uerò ne quid à me desideres, quod pertineat ad hanc rem, de reliquo, nisi tibi plenissime satis

 factum

factum est, percunctare. Hunc enim totum diem tibi uni dare constitui. Bonfad. Nihil quod sciam, superest aliud, quàm tibi singulares gratias habere, & si unquam poterit fieri, pares uel maiores reponere. Et quamuis alijs de caussis plurimum te amem, atque magnopere debeam, nunc tamen ita in perpetuũ me deuinxisti beneficio, ut quid abs te accipere possim amplius, non uideam. Cass. Nunquam de tua mirifica grati animi uoluntate dubitaui, sed quod profitearis te mihi plurimum debere, & de hac mea opella multum amare, facis sanè ex quadam potius abundantia amoris & humanitatis, quæ quidem singularis in te resplẽdet, quàm quod beneficio aliquo à me sis affectus. Bonf. Humanitatem profectò, quam in me inesse prædicas, ut uere fatear, nũquam exui, & nihil humani alienum à meo ingenio esse putaui: propterea quod homo sum, Italo sum natus parente, nõ barbaro, nõ Scytha, nõ Pœno. Bonfadius sum, non Busiris, nõ Phalaris. Scis quantopere uel nomen eorum oderim, quos fuisse ingratos ex ueteribus & recen-

recentioribus scriptoribus memoriter apud me recitare interdum soles. ô quàm animo ualde commoto nudiusquartus audiebam te, mentionem facientem de Crœso Lydorum rege, de Pharnace, de Pompilio illo in quem Ciceronis promeritũ incredibile extitit: de Dario Artaxerxis filio, de Xerxe filio Pithij, atq; alijs plerisque, qui memoria exciderunt. At quanto molestius & indignius ferebam tuam orationem, quæ mox deflectebat ad illũ ipsum Herculem, qui fuit etiã puerulus in disciplinam boni Lini, & morum integerrimi traditus. Dij boni quàm stomachabar, & tacite succensebam, cum hoc exemplo mihi dares molestas recordationes tui Agamemnonis, de quo ad promerendum semper tam fuisti expeditus & promptus, ille à referenda gratia perpetuò fuit alienus, nec ingrati animi crimen horruit: in quo uitio nihil mali non inest. Quamobrẽ sic mihi à natura comparatum esse sentio, ut uiros humanos & qui meritam alicui gratiam memori mente persoluũt, plurimi faciam, & incredibili beneuolentia

prosequar, & in eorum nomine multum recre er. Caß. Scio mi suauißime Bonfadi, quātum in te reluceat hæc uirtus, atque in dies magis & magis reipsa experior ingenij tui mānsuetudinem, lenitatem, liberalitatem, iucundissimosque mores, quos tibi natura dedit, ut humanitatis & gratæ uoluntatis multum haberes. propterea mirum non est, si quod pro nihilo ducendum eße puto, id tu pro maximo beneficio habere uis. Quocirca noli tibi persuadere, te mihi in perpetuum eße deuinctum, quoniam lege naturæ tibi debeo. Nosti enim hominem eße homini Deum, & mortali prodesse mortalem. Bonf. Ne igitur tecū uerbis amplius contendam, id omne, quoniam ita uis, in benignitate humanitateq; tua reponā, nusquam, si occasionem nanciscar certādi mutuis officijs, prætermißurus. Caß. Valde benignum te præbes, & non desinis incurrere in crimen hominis nimium memoris, nimiumq; grati. Ego quidem methodum inueniendorum morborum non eò exposui, quòd sperarem te grata memoria prosequuturū nomen meum,

sed

ſed quod cognoſcebã tibi uehementer me gratum eſſe facturum. Quinetiam plura & longè meliora dicturus ſum, ubi ſenſero hæc placuiſſe, & per me non mediocriter te profeciſſe. Opera enim ea mirabiliter delectat, laborẽq; leuat, quæ non luditur: ac eo eſt iucundior & gratior, quo amicior & beneuolentior is eſt, pro quo libẽter ſuſcipitur. Tu uerò cũ mihi unus occurreris, quem ita ualde amo, ut tuo patri concedam, præterea nemini, nihil mirũ ſit, ſi ad dicendum multo grauiora & complura ſum paratus, & in primis opto & à Dijs immortalibus precor, ut magnos proceſſus in arte medica facias, atque adeò opinionem, quam de te iampridem concepi, non modo ſuſtineas, uerumetiam ſuperes. id quod ſanè fore minime dubito, ſi in his pauculis locis, quos tradidi, aſſiduè te exercere uolueris. Tantum enim conſuetudo, uſus, meditatio, exercitatióque ualet, quemadmodum tuus atque idem noſter Cicero ſcribit, ut nec Imperatores, nec Oratores, nec Medici, quãuis artis præcepta tradiderint, quicquam magna lau-

de dignum sine ea consequi poßint. Tibi autē exercendi occasio & otium non deest, non deest ingenium, nec corporis bonam ualetudinem desideras, uoluntatem propēsam in id studij genus habes: quam constanter retineas, et uolo, & adhortor. Bons. φίλη παραίνεσις ἑταίρου. Ideo non poßum non eße tibi perpetuis beneficijs deuinctus, qui præterquàm quod aditum patefecisti ad medicinam, etiam nunc cohortaris, ne uolūtatem abijciā, atq; adeò amicè admones, ut meorum commodorū quàm studiosißimum te eße cognoscam. Quamobrem inhumanus profectò eßem, et planè ingratus, & in me periniquus, nisi recta monenti obtemperarem. Faciam sanè quod præcipis. & meū firmum atque constantem animum in medicinam retinebo, ac exercitationi me totum dabo, & in istud studium diligenter incumbam. Verum quia aduesperascit, & opinor me expectari, tua bona uenia redibo ad meum hospitium. Tu interea quid statuisti agere? Caß. Quid aliud? quàm quod neceße est hoc reliquum temporis dare alteri amico, qui dat hodie

die

die sua natalicia in uico Pantheo. Bonf. Foris igitur cœnas? Caß. Maxime. Bonfad. Apud quem, obsecro te. Caß. Apud Franc. Bergomatem cœno. Bonf. Morzentiū'ne dicis? iuuenem non minus græcè quàm latinè doctum. illum'ne, & amicum, & hospitem nostrum? Caß. Illum sanè. Bonf. O me fortunatum, ò me beatum terq; quaterq;, cui dij deæq; omnes hoc die tātopere fauēt. nūc Crassi diuitias & prata contemno. certe hic unus dies mihi uidetur superaße illos omnes, qui tā fœliciter Samio Policrati, et Euippo regi inuita illuxerunt. Quid est cur & me non pariter fœlicem tu existimas, atque Apollo putauit eße Aglaum? Si ille, quia oblectatus prædiolo acquieuit, fœlix est habitus: quamobrem ego, cōtentus tuo docto sermone quem habuisti de inuentione morborum, & ut spero alia de re fortaße grauiore facies, in hac nitida & frugali cœnula, ueram fœlicitatem non sum consequutus? Caß. Heus tibi'ne quoq; cœnam indixit? Bonf. Maxime, et rogauit. Caß. O bene factum. poßet fieri ut

in-

inferatur sermo & collocutio de altera methodo, quæ pertinet ad curãdos morbos. Scio enim omnes conuiuas fore medicos. ex quibus duo aderũt, eruditi & ingenui iuuenes: Cot. Costa, & Hieronymus Donzellinus. horũ quidem alter sæpenumero mecum solet colloqui, & libenter delabi in huiusmodi sermonem, ut eliciat meam sententiã: alter uero studiose proponit eadem de re suam opinionem, ut suam uerbis habitis ultro citroq;, quomodo approbem, periculum faciat. Ego uerò, quia ad hunc congreßum familiarem paratus accedo, nihil malo quàm incidere mentionem de ratione curandorum morborum. Quod quidem, si bene cõiectura auguror, futurũ eße cõfido. Bonf. Imus ergo, ne conuiuis simus in mora. Credo nos & optatos, & expectatos aduenturos. iam enim declarata est uigesima tertia hora, nisi mea me fallit opinio. quare maturato opus est. quin dedisse nos in uiam oportuit, sed eccũ uocatorem: nonne tibi prædico, serò nos accedere? Caß. Quis uocat? Bonf. Nũ uides ut properat ruffus ille, & pusio, cognomento

mento Syrus. Caß. Video, at ſine huc ad nos ueniat. Eſt profectò Franc. Morzenti puer, ſanè ipſus eſt. Syre men quæris? Syr. Te & Bonfadiũ quæro, & plurimã ſalutem do iterum atque iterum nomine mei heri, qui utroſque expectat. nam reliqui conuiuæ dudũ conuenerunt: cuncta ſunt parata, coquus obmurmurat, iuſcula corrumpi ait, cõqueritur, & fermè ſuccenſet uobis. Bonf. Syre mi, ut uides, ornamus iter. ſed tu ſtatim reuertere, et redde ſalutem primum omnibus, noſtris uerbis, deinde ſignifica nos præpopere uenire. Syrus. Redeo: at feſtinate, obſecro feſtinate, longa uia eſt quæ ducit ad ædes. Bonf. Porrò, ſi ſciuiſsem cœnã hanc fore cõmunem, nunquã cõmiſsiſſem, ut alijs noſtra cũctatione eſsemus moleſti. Cum igitur facta infecta reddi nequeant, erit operæprecium interea dũ properamus, ne uideamur ſubruſtici, cauſſam aliquam probabilem excogitare, quæ poſſit idonea excuſatione tarditatem tegere. Caß. Laudo tuum conſilium, & mirificè approbo. Quid igitur, ſi cauſabimur latrũculos

aut fritillum, aut ludum ciuitatum, quem ipsi norunt utrique nostrum mirandum in modum placere? Bonf. Minime gentium. Caß. Quid si dicamus uoluisse quidem maturius uenire, at non licuiße per tempestatem? Bonf. Nec sic nos purgabis illis. Caß. Quid si fingamus non defuiße uoluntatem, sed neceßitatem uetuiße? Bonfad. Non fiet credibile. Caß. Quid si in dolorem capitis, culpam reijciamus? Bonfad. Multo erit minus uerisimile. Caß. Quid si dicamus liberum nobis non fuisse adire illos, amorib. districtis? Bonfad. Excusatio tua longe minus iusta est, quam uellem. Caß. Quid rei ergo percunctãtibus quare tam serò uenimus, obstitiße respondebimus? Bonfad. Quid aliud, quàm colloquiũ mutuum? Omnes enim probè sciunt me habuisse in animo, & constituisse, ut hodiernam operam tibi diligenter darem intra domesticos parietes. Caß. Apage apage sis, ne accipiant orationẽ. Peruenimus ad ædes iã, quod quidem nondum putaram. eæ'ne sunt ædes? Caß. Sunt. Bonf. Agam'ne Lacedæmonium,

nium, an ualidè fores pultem? Caſſ. Imò ualidiſsimè, ut ſentiat tota domus nos aduentare. & ſi libet, per me non ſtat, quin quanta potes uoce clames. Bonf. Syre, Syre, aperi actutum. Quid faceres? Oportet hoc tempore abijcere omnē triſtitiam, & interdū Catonianæ ſeueritatis obliuiſci. Syr. Dij boni boni, ut concrepuerunt fores. uiſus ſum profectò audire uocem Bonfadij. Agedū adcurram, & uiſam quis ſit. quis pulſat? Bonf. Tibi dico Syre, aperi. Syr. Hui tam cito uos aduolaſtis? Ego uixdum curriculo, quamuis cucurrerim, domum reuerſus, herum uobis ſalutaui diligenter, & aduentum nunciaui, cū cœpiſtis egregie fores quatere. Bonf. Vbi ubi eſt herus? Syr. En deſcendit è gradibus. Franc. Saluete plurimum amicorum optimi, ornatiſsimi, clariſſimi. Caſſ. Salue tu etiā atque etiam Bergomatum decus. Franc. Iā dudum ætatem uos maneo. quid impedimento fuit cur tā ſerò acceſsiſtis? tacetis? Quid uos oro remoratum eſt? Caſs. Diſtricti negocijs, ad conſtitutam horam uenire non potuimus.

mus. Franc. Scilicet negocia peſſundabãt uos, quo minus potuiſſetis adeſſe in tempore, Hoc cõmentum, credo finxiſtis in uia, ut iure uideremini ueſtram cauſſam tueri. Caſſ. Non profectò. Franc. Nullam excuſatio nem accipio. Caſſ. Cur? Franc. Noui optime ueſtra ingenia. Bonfad. Sim ego amethodus, niſi totum hunc diem feliciſſime cũ Caſſio traduxerim. Franc. Scio, colluſiſtis. Bonf. Imò collocuti ſumus de re medica familiariter. Quocirca tantum abeſt ut colluſores nos eſſe arbitreris, ut triennio fermè hoc toto nec chartas, nec aleam, nec talos contrectauerimus, nec in alio huius generis ludo animum oblectauerimus. Franc. Qui tu obſecro de re medica? Bonf. Qui rogas? methodum uerbis ultro citroq; pluribus habitis, inueniendorum morborum ſum edoctus. itáque conſumptus eſt is dies. Franc. Præſtaret etiam tenere rationem curandorum. Bonf. Atqui præſtaret. ſed nos dies defecit, & quod fuit reliquum temporis, huic tuæ cænæ dari oportuit, in qua ſpero me adhuc auditu-

auditurum, quid Caſsius de altera methodo ſentiat: præſertim cum acceperim hoc tuum ſympoſiũ eſſe refertũ multis ſtudioſis medicæ rei. Franc. Non opus eſt iſtis uerbis. excipio uos nõ ut diſputatores, aut medicinæ profeſſores, ſed ut meos compotores, congerrones, cõuiuas. Aſcendite igitur in conclaue, & ponite in ueſtiario togas, parate uos ad cænã. Caſs. Satis parati ſumus. Franc. Heus Syre, cape igitur guttũ ac patinam, & linteũ humero ſuſpende, da manibus aquam. quid ceſſas? Bõf. Quia iubet herus, iccirco lauemus, & accumbamus. laua Caſſi, laua Hieronyme. Caſs. Laua tu prior. Bonf. Huiuſmodi inepta officia relinquamus mulierculis, quæ nunc etiã aulici faſtidiunt, unde tamen olim profecta ſunt. Lauemus omnes ſimul, ne teramus tẽpus huiuſmodi moris inanibus. Frãc. Agite ſatis fuiſtis in mora, accumbite. nulli ego deſigno locum. quiſque capiet, quem ſibi uolet. rectè: plus impetraui, quàm auſus fuiſſẽ optare. hic diſcumbam poſtremus. Syre appone lactucam aceto conditam. Caſs. Hoc ge

nus oleris gratißimum palato eſt, & ſolet mi bi ſemper eſſe initium cœnæ. Bonfad. Mihi quoque uehementer ſapit. at ſæpe dubitaui in quod genus lactucarũ referrem, hoc quo nũc uescimur. Caß. Plinius ſanè tria genera la ctucarum recenſet, aliud nigrum, aliud pur. pureum, aliud candidum. Auicenna uerò duo duntaxat genera eſſe putat, alterum quidem ſylueſtre, alterum aũt domeſticũ. in ſylueſtri uim papaueris ineſſe tradit, quã Plinius pro- pter ſaporem nigro generi attribuit: quo ſit ut arbiter, lactucam ſylueſtrẽ nihil differre à nigra. Huc etiã pertinet quod Dioſcorides ſolo foliorum colore alteram ab altera diſtin guit. Scribit enim, ſylueſtrem habere minus candida, quàm domeſticam, folia. unde in eã mentem impellor, ut credam ſylueſtrem iure optimo poſſe appellari nigram, ſi cum dome- ſtica & alba conferatur. Purpuream lactu- cam nec uſquam memini me uidere: nec qualis ſit, ut ingenue fatear, ſcio. alijs itaque ueſti- gandum relinquo. Bonf. Quid ſi lactucam ni gram interpretaremur mandragoram fœmi nam?

nam? quæ habet folia nigra, & illa quidem similia lactucæ, unde et à Græcis iure θριδακίνη nuncupata est. Caß. Nihil incerti ausim affirmare in re admodũ obscura et dubia, de mãdragora. Cuius tria etiam genera esse commemorant. magna est controuersia, & præcipuè de eo tertio genere, quod putat Hermolaus. Barbarus esse illud ipsum quod uulgus nominat Melonzellam: alij uero opinantur dici fabam inuersam, quam ego conijcio esse telephion. Franc. Mittite quæso hæc, & cibũ capite, edite. τὰ πάντα ἕτοιμα τε, καὶ πεχέμενα. Mensam non appono Sybariticã, sed Socraticam. Quid cunctamini discerpere capum hunc? Si nihil opipari paratum est, nihilue quod ad palatum faciat, æqui boniq; consulite. Hospites enim me excepturum putabam, nec delicati nec multi cibi, sed multi ioci. Caß. Quis nostrûm non boni consulat, cum pauones, attagenas, turdos, ex quadrupedibus autem leporem & dasipodem apposueris? Quid quæris? Apicium conuiuio accipere potuisses. Spe profecto falsus sum,

qui

qui opinabar cænam ea lege mihi condici, & cæteris, ut ne quid ex consuetudine immutaretur. Bons. Ego quoque eram in eadem opinione. Quorsum tantus apparatus? quorsum tot epulæ? quorsum tot fercula sacchare condita? an putabat nos Zenonem laudare, sed ad præscriptũ Epicuri uiuere? Franc. Age bone uir, Stoicos & Cynicos cum suis ieiunijs cõtemne, & nunc omitte. Decerperem tibi quippiam si noscerem ingenium palati tui. at accipe hoc, sacchare optime conditũ. Bonfad. Dulcia non sapiunt. quanquam prouerbio fertur, fercula & iucundiora & conditiora reddi sacchare: mihi tamen hæc conditio non sapit palato. Quin malim degustare animo quàm lingua sacchari naturam & uires, atque adeò differentiam, quam Caßius superioribus proximis diebus, disputans contra Manardi auditorem nescio quem, ostendebat inter hoc ipsum & mel. Caß. Num tenes meam sententiam? Bonfad. Minimè. Caß. Quid ita? Bonfad. Non ueneram satis in tempore. disputationẽ penè finieras.

Caß.

Caſ. Summatim nunc opinionem attingam. latius ac diligentius expoſui in libro, qui inſcribitur Epiphyllides, quum uoles legere poteris. Bonfad. Leua me hoc labore. Scis enim quàm ſim laboris impatiens, quàm ægrè feram longam lectionem. itaq; ſi placet inter cœnandum repetere, non multum laboro etiam ſi non exactè rem exponas. Caſ. Galenus quidẽ pauca dixit in Capite de melle, ita ut multi æſtimauerint, ſaccharum idem quod mel Galeno ſignificari, & eſſe. ego uerò hoc intereſſe arbitror, quod mel eſt ros è cœlo dimiſſus: ſaccharũ aũt eſt ſuccus, ſeu liquor expreſſus de arũdinibus. Mel uariat miris modis, tum propter fermentationem quam patitur in aluearibus, tum tactu apicularum, quæ ſunt animalia ſicci temperamẽti: tum propter cœli ſtatum, & florum qualitatem. Mel autem quod roridum, aut aereum uocatur, expers artis & induſtriæ apum, propriè manna ab imperita multitudine nuncupatur. quales itaque ſunt flores qui perfunduntur rore, tale etiam futurũ eſt mel. Si enim ros in thi-

mũ descenderit, mel profectò quod ex eo prudentes apiculæ conficient, & siccum & odorum sit necesse est, propterea quod huiusmodi est thimi natura. Sin autem frigidus pariter & aquosus flos extiterit, mel quoque teterrimum, & fermè putre confici oportet. Quid in Sardinia, non'ne amarum est? nempe quod ex absinthio rorē apiculæ colligũt. in Colcho uenenatum & grauem odorem profundens esse traditur, eo sanè quòd rorem uirosi floris, & tetri, apes depascuntur. Locorum quoque natura mel insigniter mutatur. in locis enim palustribus & lacustribus mel teterrimum fit. Montanum probatur maxime, quale est Himetium, & Hiblenum. Plerunq; uerò apes non modò gelidum rorem conuehunt ad aluearia, sed etiam integros flores gestant. Ex quo mirũ uideri non debet, si mel sæpe nimium terrestre euadit. Dulce quidem est ob partes aereas, acre propter terrestres, & crassiusculas particulas. At uerò succus ex arundinibus recens expressus, habet dulcitudinem aquosam, ualdeq; insipidam, qualis sapor

por percipitur in illis cucumeribus, quos uulgo nominamus angurias. Nihil autem ſapit, quia adhuc eſt crudus, & plurima aqua plenus, ideoq; non eſt dulcis. arte poſtea coctus, dulcior efficitur, quia partes terreſtres in imo reſident, & aquoſæ ignis feruore abſumũtur: at ſolum aereæ, quæ iũgũtur cũ tẽperato calore, relinquuntur. id ſanè quod pomis accidere, pro cõperto quiſque habet. Nam primũ aquoſo liquore redundant: deinde progreſſu temporis, quia concoquuntur, craſſiuſculo ſucco opplentur, & miteſcunt, & dulcia redduntur, quia pars aerea permanet. Sic propemodum ſacchari ſordes, quando excoquitur, deſident, & ea pars eſt quæ dicitur ſaccharum rubrum: in quo abſtergendi quanta uis inſit, propter terreſtres et ambuſtas partes, clyſmatum uſus docet. Quocirca quanto crebrius excoquitur, tãto efficientius expurgatur, atq; adeò partibus terreſtribus reſidentibus, igneiſue exhalantibus dulceſcit. ſiquidẽ partes tenues & aereæ, ut nuper dicebam, coniũctæ alijs calidis, & illis quidem temperatis,

remanent. dulcitudo enim nititur parte aerea, et ignea, sed temperata. At mel quo plus excoquis, eo plus atque plus amarescit. quoniam partes terrestres & aridæ supersunt, & aereæ exhalant: quod sane in saccharo percoquendo non conspicitur. Hic non est cur in quæstionem disceptationem'que uocem, utrum prisci medici saccharum nouerint: id unum tantum asserere possum, nihil Arabas habere in quo se iactent authores, quod prius Græcis medicis in usu non fuerit. Græcos medicos nunc intelligi uolo recentiores, nimirũ Paulum, Aetium, Psellum, Oribasium, Actuarium, & reliquos qui non multo post floruerunt. Franc. Missa hæc facite. Quin potate, edite, has doctas disputationes mittite, & in alium diem potius reijcite. Hilares inter pocula esse decet. tu Bonfadi exporrige frontem, abijce curas, propina Cassio, & secum diem hũc lætum sume. Syre, infer calices illius uini flaui plenos, quod arbitror esse mitius, et salubrius, & dato singulis cyathos. habet enim & gratum colorem, & palatum mi-

rifice

rifice iuuat. Cupio quidem exhilarare hosce meos hospites, qui uidentur potius spectatores esse, quàm cõuiuæ. Heus tu accipe, nihil te esse cerno in tota cæna. Bonfad. Obe sat est: non tã apponis, quàm obijcis cibũ. Franc. Non te puto esse cicadam, ut rore uiuas. Bõfad. Strenuè administraui munus meũ. Frãc. Colloquendo & audiendo. Bonf. Imò cænando. Franc. Heus pueri, quoniam nihil etiam edere hos uideo, tollite istæc, & bellaria quamprimum afferte. Quid subtristis es, Bõfadi? Quin capis tragemata? Quid taces, quid curarum te conficit? peregrinatur'ne animus? Bonfad. Totus est in Cassio, cui dari occasionem desiderabam, unde posset per commodè inducere sermonem de methodo medendi. Franc. Diei sunt obductæ tenebræ, atque multum est noctis: iccirco in crastinũ differri æquo animo patere. Bonf. O male factum, uobis male sit malæ tenebræ, quæ mihi tam bellum, tam doctum sermonem abstulistis. Cass. Esto præsenti animo: quod differtur, id non auferetur. Cras enim bene mane, si ad

meas ædes ueneris, nos inter nos de methodo colloquemur, & hilarem diem ex utriusque commodo sumemus, et transmittemus. Franc. Ego etiam cum hisce meis conuiuis interesse cupio & opto. Cass. Vt lubet. Bonf. Dicamus ergo certam & constitutā horam sermoni faciendo. Franc. Dicamus. Cass. Esto undecima hora. Bonfad. Perplacet. Franc. Nobis quoque peropportuna uidetur, nihil restat igitur, nisi ut precer tibi & alijs felicem noctem. Bonf. Tibi etiam bono sit, & Deus adsit.

FRAN-

FRANCISCVS MOR
ZENTVS, IAC. BONFA-
FADIVS, P. CASSIVS.

FRANC.



Ommodum abrupi somnum, cum diẽ illuxiße sensi. Bonf. Ego uero totã noctem insomnem duxi, atq; ad mane summũ usq; uigilaui, nunquã quieti me dare potui. Hesterna enim methodus sic altẽ inhæsit, ut partitio ac diuisio, per quam memoriæ ipsam commendaui, animo aßidue occursauerit, & somnum ademerit. Franc. Sæpe fit, & à natura hominibus tributum est, ut quæ uigilantes uolunt & student, ea somniẽt, de eis ualde sint solliciti. Vnde nõ iniuria nox curarum parens fingitur à poetis, & apta cõtemplationi existimatur à Scopeliano sophista, qui subinde solitus est exclamare, ὦ νὺξ, σὺ γὰρ δὴ πλεῖστον σοφίας μετέχεις μέρος θεῶν. Bonfad. Id unum scio, somnum hac nocte oculis non uidiße meis. Franc. Ex uultu agnosco, miris modis palles. Bonfad. Vtcunque.

quin

quin rectà ad Hieronymum proficiscimur? Franc. Per me non stat. Bons. Imus igitur, ne mihi ex animi sententia omnia ita cadant hodie, ut heri cecidisse sensi: profectò putarem me Dijs immortalibus gratum & iucundum esse, & quasi diuinitus fores apertas esse, ac patere ad sacrosanctam artem Apollinis. Franc. Pone metum, tristemq; animum, numen aderit. Ecce stans ante hostium Hieronymus, nos præstolatur. Bonfad. Age salutemus. Franc. Saluus sis, quid fit? Cass. Sto ante ædes, circumspectans sicubi locorum uos oculis cernam. Bons. Adsumus, iube quocunque uis eundum, dictum ac factum ibimus. Cass. In hortũ, ut sub uiridi lauro sedeamus, ire commodissimum erit. Patula enim est, & frondosa satis, comamq; patentem & proceram erigit, ut ualde apta mihi uideatur ad locum opacandum, atq; arcendum æstũ. Franc. Nulla per Iouẽ, nec pro re conuenientior arbos, nec cõmodior locus excogitari potuit. Laurus etenim Phœbo artis medicæ inuentori decus est, & illi gratissima, sub

sub qua auram & frigus amabile captantes, sine incommodo diem transigere licebit. Bonfad. Licebit quidem. sed considamus ordine: tu ad dextram concede, ego ad sinistram, medium excipiemus. Sentin ut sacra hæc arbor uirentib. folijs, ac crepitantibus leui susurro, atq; grato odore cœlum perfundentibus, suadet colloqui, & hesternum sermonem auspicari? Franc. Hoc negotium tibi datur, et iure quidem, cum ea re nos huc conuocaueris, ut de ratione curandarum ægritudinum edissereres. Cass. Non detrecto, nec id à me reijcio, dabo tamen operam ne uos huc fortassis uenisse pœniteat. Bonfad. Agedum de Methodo curandorum omnium morborum, dic uirili præsentiq; animo. Cass. Quàm uehemẽter erras Bonfadi, si credis à me posse tradi curandorum omnium morborum methodum. Bonf. Quorum igitur? Cass. Nempe illorum qui curam recipiunt. non etenim est in medico semper ut releuetur æger: quin interdum plus malum docta arte ualet, & uincit. & quamuis medicus afferat cuncta medi-

camina, uel ſacras herbas, uulnera tamen cordis nunquam ſanabit. quare morbi, qui nulla arte eſt medicabilis, nullam rationem medendi exponam. Bonfad. Quid quod ars neq; nodoſam podagram tollere, neq; formidatis aquis auxiliari poteſt? Caſs. Modum ediſces, ſi non depellendi, at certe leuandi & lõga mora extenuãdi huiuſmodi ægritudines, poſteaquam methodum conſequutus fueris. Non enim debet medicus promittere id, quod ars nullo pacto præſtare poteſt: ſed corpora in morbo deplorata, ut ait Hippocrates, ſolis prognoſticis relinquere, aut more priſcorum ante ianuas collocanda iubere, ut extremum ſpiritũ reddant terræ. Bonf. Si ergo deſperatis & depoſitis uetat Hippocrates adhibere medicinam, ſaltem methodum referas medicandi illos morbos, qui ſunt arte ſanabiles. Stultus eram qui impoſſibilia captabam, & potius diuina quàm humana expetebam, quãuis opera noſtra à Deo dependeant, ſi qua tamen ex humanis bona ſunt. nam ut cecinit ille poeta, Hæremus cuncti ſuperis, temploq; tacente

cente Nil agimus nisi spōte Dei. Caß. Recte loqueris: quæ supra nos, nihil ad nos. Dij eße non poßumus, sed aliqua rerum cognitione & arte reddi persimiles: ad quos nulla res propius quàm medendi scientia promouere nos potest. Non desunt tamen aliqui, qui eò uesaniæ & arrogantiæ deuenerunt, ut se Deos faciant, atque omne genus morbi curaturos profiteantur, ne dicam à mortuis animas excitaturos: quod quidem genus hominum & magnopere odi, & è uiuis exturbari cupio, ut tandem aliquando desinant imperitæ multitudini imponere, & sæpe fucum facere, atq; adeò puram et integram artem contaminare: quam profectò minime contaminaßent, si priscorum medicorum uestigijs insistere maluißent, quàm quorundum empiricorum syluam medicaminum consectari. Iis nisi abuterentur, & paßim sese uenditarent, æquior in ipsos eßem iudex. Bonfad. Quid facias? quod emēdari nequit, æquo animo feras necesse est. Nulla est ars, quæ uacet imposturis. Caß. Fateor: sed medicina omnium plenißima est, q̄

quidem nihil dubitarem expurgatum iri, si prætermißis tot tantisq; inutilibus cõtrouersijs, & leuib. quæstiunculis, atq; argutis elenchis, ad methodum, qui hodie sunt bonæ spei adolescentes animum adiungerent, & toto pectore incumberent. Studio enim aluntur artes, excoluntur, & magna incrementa suscipiunt: rursum desidia & negligentia iacent, contemnuntur, & funditus intereunt. Bonf. Bono sis animo: insperata magis accidunt sæpe, q̃ quæ speres. Interea tamen satis erit orare Deum, qui cuncta donat et aufert, ut senes quidem resipiscant, & desinant maledicere: iuuenes autem frugibus inuentis, spreta glande, uescantur. Caß. Multi uota ferunt, mi Bonfadi, sed parum proficiunt. Bonf. Vnde hoc scis? Caß. Quia uideo omnes aspernari methodum, & tanquam insomnium fabulasq; aniles irridere. Bonfad. Irrideant, per me licet. Equidem, ut de me loquar, eam partem de qua heri sermo habitus est, nequeo nõ laudare, suspicere, admirari. Caß. Alteram quæ restat, ni fallor, partem, plus atque

plus

plus admirabere, ubi audiueris, & illam comprebenderis. Franc. Attenti sumus ad audiendum, quare iam dextro & secundo Apolline incipe. Caß. Cum methodus curandi ab indicationibus sumat initium, quas Græci ἐνδείξεις nominant, operæpreciū facturus uideor, si in primis distinctione utar, ex qua perspicua fiet natura atq; differentia indicationis, & propositi, qui scopus ab alijs, ab alijs intētio uocatur. Indicatio itaq; est explicatio rei agendæ. Propositum aūt est finis ipse quē medicus collimat, sibiq; aßequendum proponit. Quare tot erunt fines, quot nacti erimus indicationes, ex quibus habent ortum. Fines nunc appello scopos priuatos ac distinctos, per quos ad communem scopum prouehimur, & illum distincteq; & planè agnoscimus. Indicatio igitur cum à rei natura sumatur, quæ quid faciendum sit per signa ostendit, in multas quidem partes diducitur, sed certus numerus earum præscribi nequit. Totidem enim curandi indicationes sese medico offerunt, quot res faciunt indicia. Porro sunt res maxi-

mùm decem, quæ rationem curandi per indicia ostendere, & generatim monstrare possunt: Morbus, uires corporis, locus affectus, temperatura, ætas, regio, tempus anni, constitutio, natura, consuetudo, aer. At uires & morbus sunt ueluti duo ἀνταγωνισταὶ, quibus medici interest, ante omnia consulere, & secum id semper animo repetere, ac statuere, ut morbum depellat, uiresq; tueatur, & custodiat. Ex re enim ipsa apertissimum est, nullum sanius consilium pro salute animantis posse capi, quàm tueri uires, ne succumbant. hæ quidem de se ipsæ indicio sunt, ut seruẽtur & defendantur. Morbus uerò palàm ostendit, ut remoueatur: reliquæ octo res non uere indicãt, sed potius permittunt, hoc est (ut uerbo græco utar) συνενδείκνυνται, quasi modũ et quantitatem patefaciant & demonstrent. Cæterum qualis natura rei est, talem esse indicationem oportet. si illa simplex aut composita fuerit, hanc quoque simplicem & uniusmodi, aut compositam nasci omnino est necessarium. Ex diffinitione igitur sumendum est initium:
quippe

quippe quæ aut formam, aut materiam breuiter explicet & patefaciat. Ne longius abieris: Morbum heri affectum eße præter naturam, qui proxime naturales affectiones impedit, commonstraui: ut quid ipse eßet, ubi cognouißes, me à notione finis auspicãtem, atque omnia diligenter diuidentem nunc intelligeres, simul & unde prodirent indicationes cõmodius obseruare poßes. Affectus autem naturæ repugnat & aduersatur propter intemperiem, aut uitium compositionis, aut continuæ partis dissolutionem. Hæc quidẽ, quid sit agendum, singula quæque suapte natura indicant. Febris namque quoniam est mala temperatura, calida & sicca, ideo frigidis & humidis præsidijs interstinguenda est, ac depellenda. Bonfad. Ergo indicatio curandi etiã sumitur à morbo. Caß. Minime, sed ab essentia & forma morbi, quæ tam est uocanda causa, quàm quæ maximè. Bonfad. Forma igitur rei distinguitur & seiungitur à re. Caß. Ita mihi uidetur, & boni philosophi mecum faciunt, tu quoque idem senties, si quod

ego

ego formã & naturã rei appello, id rẽ ipsam appellabis. Vtaris tamen per me licet alijs nominibus, modò de re ipsa inter nos conueniat. Equidem in eam mentem impellor, ut existimem nullam indicationem curandi esse, quin à causa sumatur. Ea autem siue morbi forma sit, siue aliquid efficiens, hoc interest, quòd cũ morbus caußa efficiente caret, tum simplicis curationis indicatio nominatur. Attamẽ causa interior non abest, quam interdum formã, sæpe naturam siue eßentiam nominare soleo. Quoties uero cunq; effectrix caußa adest, cõposita indicatio consurgit, partim prospiciendi, partim curandi. utraque tamen, de causa interna oritur: altera quidem ab antecedẽte: altera uerò, hoc est curandi indicatio, à proxima causa, quæ morbum facit & fouet, ortũ habet. Morbus autem is ipse est, qui iam est effectus. Propterea, ut ad propositum reuertar, si febris nullam habeat causam efficientem, satis est deducere ab eius natura indicationem curandi, deinceps scopum proponere, & dictum ac factum petere. Sin autem aliunde

de pendeat, et succẽdatur, qualis est ea quæ de putredine orta est, præstat lõgius digressione progredi, et cũctas indicationes ex natura rei singillatim cõquirere & perscrutari. Sanè putredo, quæ febrem proxime alit, ex se facit indicium principiò ut depellatur. Depelli uerò ab ipso poterit, qui & causas eius primũ norit. Putredinis causæ tres esse in uniuersum existimantur, aut prohibita uentilatio, aut redundans humor, aut stipatio. Nisi enim natiuus calor uentiletur, in suũ exitiũ crescit. Exuberans autem humor suffocat, caloremq; penitus elidit. Quare singularum causarũ ea est natura, ut nobis indicium dent, ut auferamus. Auferri sanè poterũt cõmodissimè, quando palàm ostendent unde nascãtur & proficiscantur. Perspiratio quidem præpeditur, aut ob meatus interclusos, aut propter materiam impactã. Clausi de se ipsi indicio sunt, ut aperiantur. Clauduntur autem, uel acri frigore, uel re quæ adstringendi facultatem habet: cuiusmodi esse alumen commemoratur. Compingitur nimirum materia, aut quia permulta est,

aut lenta, & apprime tenax. Permultam exhaurire, tenacem incidere expedit, id quod natura rei, à qua ne latum (quod aiũt) culmum discedas uolo, apertissime indicat. Fac amabò aliquem ex nimio cibo in morbum incidere. Nonne res ipsa quasi loquitur, et indicat planè, inediam esse imperãdam? Finge rursus multum humoris biliosi, & acris, in toto corpore redundare, & in tunicis uentriculi, & illius quidem imbecillis residere. Dij immortales, quàm multæ indicationes ex natura singularum rerum tibi ultrò sese offerunt, atque adeò scopi derepente patefiunt. Copia humoris ostendit euacuandi indicia, uentriculi imbecillitas robur addendi, acrimonia obtundendi et temperandi. Ad morbũ si accesserint symptomata, suam quoque curandi indicationem dabũt, scopumq; agendi præscribent. Et uerò periclitemur altero exẽplo, quod à profluuio alui commodissimè sumi potest. id sanè est symptoma, quo uentriculus uel intestina afficiuntur, & urgentur. Vrgeri nimirũ possunt, aut ex proprio, aut alieno affectu. Proprius

prius affectus, uel est mala temperatura, uel praua compositio (in præsentia appellatione compositionis uitiatæ contineri uolo indecentem conformationem, numerum, magnitudinem) uel continuæ partis solutio. Ex ijs cõmunes & generales prodeunt curandi indicationes, & constituendorum medicaminum deliberationes. Quocirca altius naturã rei inuestigare oportet, atque diligentiori diuisione scrutari & persequi. Si enim hic consistas, nihil profectò ages. longius ergo est progrediẽdũ diuidendo hũc in modũ: Mala tẽperatura uel calida est, uel frigida, uel sicca, uel humida, uel ex ijs cõiugatis cõposita. unde cuiusmodi erit qualitas, tales etiã de se, hoc est distinctas indicationes tibi significabit. Alienus uerò affectus, uel est in iocinore, uel capite, uel uniuerso corpore. Humores è capite se fundẽtes iugi ac perpetuo affluxu, uentriculi infirmant uires. Ideo animum attendere oportet, ad curandi indicationes, quæ quidem permultæ sunt. Alia enim à uentriculi temperatura nascitur, alia ab eius imbecillitate, alia à ca-

 pitis

pitis affectu, alia à quantitate, quæ caput obsidet & infestat. Quicunq; ergo inter initia huius morbi statuet apud se caput purgare, materiã auertere, pariter & euacuare, partem affectam corroborare, deinde tonũ uentriculo addere, ne facile sit locus emißis aliun de excrementis, postremò malam temperaturam amouere, is mea quidem sententia non sine ratione curabit. De uitiatæ autem compositionis indicationibus, nihil est cur in præsentia loquar: suo loco, Dijs bene uolentibus, dicetur. Eius tamẽ te admonitum uolo, quod semper est initiò tibi obseruandum atq; considerandum, ut morbi naturam quàm accuratissime cognoscas. Continuæ itidem partis solutio, quã indicationẽ de se præbeat, notius est quàm ut à me referatur, nihilominus proprio loco commodis exemplis explicata manifestius liquebit. Bonfad. Intelligo. Summa totius rei hæc est, ut semper in curãdis morbis à natura rerum ducatur initium: ex quibus, quemadmodum tu dicebas, tot & tales nascuntur indicationes, quot & quales ipsæ sunt. Sed

quid

quid consilij capiam, quo'ue me conuertã, quãdo dißimiles & contrariæ mihi occurrent? Aliæ enim suadebunt aliud, aliæ dißuadebunt. Aliæ eò me uocabunt, unde ab alijs reuocatus animus in uarias partes distrahetur, nullamq; curandi rationẽ inire poterit. Caß. *Atqui si contrariæ indicationes extiterint, diligentißime tecum expendes, quæ dignitate excellent, & magnitudine præstabunt. Et ne in re aperta & clara hallucineris, finge corpus Socratis sanguine multo destitui, atque graui morbo diuexari: id profectò nemo non iudicabit esse nutriendum & alendum, nõ modo multum, sed etiam sæpe, ut sanguis qui desit reparetur & reponatur. At crebrò & perparcè, si uires concedant, quæ multum cibi non patiũtur, sed tantulo refici poßũt. Fac rursus sanguinem supra modum calere, aut frigere, aut alia qualitate affici, quis obsecro non intelligit, tunc alimentum, cum feruet sanguis, frigidum eße suppeditandum? uicißimq; cum friget, calidum? rursus cum craßescit & lentescit, attenuantibus & incidentibus cibis*

esse opus? Pone etiam multum sanguinem, et illum quidem bonum ac integrum, uenis coerceri. Certum sanè est tibi indicari, ut & perparcè & rarò admodũ enutrias. Ex ijs enim perspicuum est, magni quidem fieri indicationes sumptas à uiribus, & à morbi natura: sed multo pluris æstimari quæ ab illis, quàm quæ ab hoc ducuntur. Morbi namq; dignitatem sanitate metimur, uirium autem uita ipsa: quæ quidem nihil est neq; dignius, neque homini carius et antiquius. Magnitudo sanè & morbi & uirium, habet uim maximam: sed utra maior sit, essentia et intentio declarat. Essentiã rei appello, quæ ex se magna est: ueluti lipothymia est, quæ uires exoluit & labefactat. Intentionem intelligo talem, qualis esse dolor solet, qui plerunque adeò intenditur & crescit, ut in se omnem curationem conuertat, nõ propter suã essentiam, sed incrementum. Ut ut est, cum morbus & uires ex æquo curationem requirunt, tum malim ego uiribus periclitantibus succurrere, quàm occurrere morbo. Bonfad. Totam rem teneo. uerum quibus

bus apparatibus, hoc eſt inſtrumentis indica tiones exequi, & ad uſum reuocare potero? Caſſ. Ne ſis admodum de his ſollicitus: ex ipſis omnia ſuppetent, qui medicinam faciunt. tu quoque facillime inuenias licebit. Bonfad. Itáne? Caſſ. Sic mediusfidius. id unum modo ſupereſt, ut ad præcepta, quæ ex me audiuiſti, aſſidue te exerceas. inde enim non mediocrem & fructum, et delectationem percipies. Bonf. Certó ſcio. ſed morbi non ſuccurrunt, quibus tanquam exemplis, id quod didici planum fiat, cuiuſmodi ſit: propterea niſi eſt tibi moleſtum, in unoquoque genere morbi abs te exerceri cupio. Exempli cauſa. ponatur aliquid, quod pateat latius & clarius, qualis eſt aliquis morbus conſurgens in mala temperatura, in uitio compoſitionis, in diſſolutione partis continuæ. Caſſ. Quia hoc tibi magnopere placere intelligo, dabo ſanè operam, ut quæ uideri poſſunt obſcuriora, cum diſputantur & dicuntur, appoſitione exemplorum illuſtrentur, & ea obiter repetendo, in ſingulis morbis, quæ uniuerſè tradidi, altius memo-

riæ

riæ inhæreāt. Ab ulcere igitur ſimplici, Galenum imitās, exordiar: illud unum præfatus, initium curādi, quod à morbo ſumitur, eſſe ueluti carceres unde medici quadrigæ ſeſe effundunt, & dari in curſum incipiunt, indeq́; naſci communem duntaxat indicationem, uulgaribus hominibus etiam cognitam. Nemo enim eſt ita ſtupidus, ut neſciat lapidem in ueſica eſſe tollendum, membrum luxatum ſuo loco reſtituendū: et ut in ſumma dicam, omnem morbum eſſe depellendū. Sed quod præſcribit & indicat morbus, idipſum qua ratione fieri poſſit, aut non poſſit, ei uni perſpectum eſt, qui cauſas probe norit, aut morbi naturam longo uſu tenuerit. Præſtat enim medico, & ratione & experientia niti, ut ex iјs feliciter præſidia inuenire poſſit, & morbum curare, atq; profligare. Indicatio igitur curandi à cauſis petitur, quanquam à morbo ortum habet: id quod in curatione ulceris fiet planiſſimū. Porrò ulcus quod ſimplex eſt, indicat, ut poſtquā ſiccatum eſt, cicatrix inducatur. Compoſitū autem, ut primum id qui cum iungitur, deinde

ip-

ipſummet curetur. Si enim altum ſinum habuerit, duos ſcopos præmonſtrabunt indicationes: alterum quidem adglutinandi, alterum uerò opplēdi. Sed utrū id effici poßit, quóue medicamenti genere efficiatur, & unde auſpicari oporteat, non eſt imperitæ multitudinis iudicium ferre, ſed pertinet ad uirum medicæ artis ualde gnarum, atque ulceris planè experientem. Experiens nimirū ille eſt, qui cauſas cognoſcit. Sanè non quiſq; de populo nouit ulcus, cuius non ſolum caro, uerumetiā os ſubditum interijt, neq; oppleri poſſe, neq; qua æquari & complanari queat, ullam curam recipere: ſed bonus et diligens medicus intelligit. Bonum appello, qui methodo curat, nō qui ſoli experientiæ confidit. Itaque ulcus concauū quicunque curabit, is à natura rei initium bellißime ſumet. natura enim ſinus poſtulat ut oppleatur, & caro quæ perijt reparetur, denuoq; generetur. generandæ autem carni eſt materia optima, cuiuſmodi eſt ſanguis utilis & membri natura, hoc eſt bona qualitatū temperatio. Nā ut ex alimento duplex excre-

mentum conficitur, alterũ quidem tenue, quod cæcos meatus corporis perspirat: alterum uerò crassum, quod summa in cute in sordẽ mutatum extat: sic propemodũ ex sanguine duæ partes inutiles exprimũtur, et in ulcus plerũq; decurrunt. Altera sanè pars, quæ est admodum tenuis, humefacit: altera autem, quæ crassa est, sordicie locum oblinit, & quasi limum obducit. Danda est ergo opera, ut medicamentis commodis occurramus. Ea esse cõmoda indicat natura rei, & quæ siccãdi facultatẽ habent, & quæ sordem eluere possũt. idq; tamen non satis est, quoniam non modo genus medicamenti inuenire oportet, sed etiam speciem, ut quale est cognoscatur. Propterea ex medicaminibus, quæ moderatè siccant, hoc est in primo siccandi ordine posita sunt, ulceri probè conueniũt. Hinc, ut uides, geminæ tibi sese obtulerunt indicationes. altera quidem, tuendi ea quæ sunt secundum naturam: altera uerò depellẽdi, quæ sunt præter naturam. Illa nimirum rebus tuemur similibus, hæc dissimilibus & contrarijs remouemus. Ac uerò

quæ

quæ exsiccant medicamina, tum pro ulceris humore, tum pro corporis temperatura deligere operæ est preciũ. nam prout est natura ulceris, & corporis, plus minus denuò siccare, carnemq; inducere expedit. Quocirca uim medicamenti etiam atq; etiam callere medico necesse est. Sæpe enim fit, ut quia immoderatè agit, uel quàm parcissimè, ideo nihil prorsus iuuet. At plus'ne quàm cõuenit, an minus, uim suã exerceat, cognoscitur ex natura ulceris, aut sordentis, madentisq;, aut arentis & nimiam detersionem patientis. Quapropter ad cicatricem perducendi ulcus rationem, ut est intelligere operosum, ita nulli alij scire id cõceditur, quàm medicæ artis uiro experienti. Perduci autem tunc iure potest, cum oppletũ est carne, ex qua cutis in cicatricem coit. Et quanquam ex sanguine caro eadem specie in concauo ulcere regenerari potest, in pleno tamen cutis eadem, ex carne redire non potest, sed similis, & priorem præstans usum. Sed quia est callosa cutis siccior et densior carne, ideo medicamentis siccis & astringentibus

opus est, quae obducere carni naturale tegumentum possint. quod quidem aliud non est, quàm inducta cicatrix. Verũenimuero, si caro, quod saepissime euenit, excresceret, indicium de se dat, ut coerceatur & recidatur. Recidunt commodissime, quaecunque medicamenta naturae luxuriantis actionem impediunt: qualia sunt, quae ualidè siccant. At uerò si intemperies oboriatur, nihil dubito quin feliciter cures, modò ad duas res animũ attendere uolueris. principiò ad naturam intemperiei, deinde ulceris: illi quidem occurres qualitatibus contrarijs, huic uerò medicamentis mediocriter resiccantibus. Sed cura maior est gerenda intemperiei, quàm ulceris. nã intemperies, uel alius praeter naturam affectus qui iungi solet cum ulcere, cuiusmodi est inflammatio, impedit, quo minus succrescat caro, & ulcus complanetur, adglutinetur, ad cicatricem perducatur. Quocirca ne aliquis malus affectus tibi occursans diu curationem remoretur, corporis temperamentum, coeliq́ temperiem (quae plerunque medico operi faciundo

undo

undo interdicit, aut ſaltem modificanda eſſe medicamenta illum commonefacit) diligenter & attente inſpicies. nam totius corporis temperatura, quia naturalis eſt, ideo ſimilibus rebus ſeruabitur. ulceris intemperies, quia eſt præter naturam, iccirco diſsimilibus curabitur. At ſæpe fit, ut temperamentum corporis quidem ſit humidum, partis uerò affectæ ſiccum: unde naſcuntur indicationes contrariæ, quibus ſimul ſeruiendum eſt, quia eodem tempore ſeſe offerunt. Plerunq; uerò tametſi ſunt contrariæ, certum tamen curationis ordinem obtinent. Primum enim occurritur cauſæ, ſine qua non poteſt quicquam rectè curari, niſi penitus tollatur: ueluti eſt ſordicies, quæ impedit quo minus ſuccreſcat caro, & adglutinetur in cauo ulcere. Deinceps cõſideratur proxima cauſa, quæ monſtrat cur locus inanis poſsit impleri. Poſtremùm in illud ipſum animus defigitur, quod ſanè præcipuum fuit in conſultatione de ulceri obducenda cicatrice. Interdum id duntaxat curatur, quod magis ꝙ̃ cætera urget, et in maius uitæ periculũ abducit.

cit. Musculi enim uulneratum caput, præstat transuersum præcidere, si nullis medicamentis potest cõuulsio arceri, quàm ulcus curare. Cæterum, quia ulceris simplicis differentiæ aliquæ, curationi sunt magnopere utiles, propterea spectabis figuram, magnitudinem, & locum contemplaberis, tempus interea negliges. nam quæq; curandi indicatio nõ sumitur à quacunque differẽtia: quoniã ulcus recens, aut uetus nihil indicat. Reliquæ tamen differentiæ, quæ possunt separatim indicare, singulas indicationes præstant. Iis sanè quæ sunt similes, promiscuè omnibus uti expedit: quæ autem sunt dissimiles, & contrariæ, sua magnitudine ac dignitate, quid consilij capias, quemadmodum suprà exposui, demonstrabunt. Non rarò etiam ulceris multi affectus præter naturam solent esse comites. siquidem solutio rei continuæ, est morbus, qui omnes animalis partes infiscare potest. & quia partes sunt uariæ, ideo uaria quoque sortitur nomina. Carnis enim diuisio, nominatur ulcus: ossis, κάταγμα: nerui, σπάσμα: ligamentorũ, ἀπό-

ἀπόσπασμα: muſculorum & uenarum, ῥῆγμα καὶ θλάσμα. Sanè uerò his morbi generibus affectus diuerſi coniunguntur, & plerunque ſimplices, interdum compoſiti. propterea diuerſam curandi rationem poſtulant. Ante omnia tamen eſt prouidendum, ut illa amoueãtur, quæ impedire poſſunt modum adglutinandi ora ulceris. Tria quidem eſſe poſsũt impedimento, nimirum carnis intemperies calida, frigida, humida, ſicca: affluxus uitiati humoris, et præcipue ſanguinis, uel eius quantitas. quare ulceris principio, qui cũ iugiter ſæpe tumorem, hoc eſt duriuſcula labra curabis, & integra carne tenus præſcides. At ſi omnino non poſſe tolli niſi temporis diuturnitate iudicaueris, ægrum conſulere oportet. Alius namque quiduis perpeti mauult, quàm ſectionem: alius impatiens longæ curationis, nihil non ſuffert æquo animo, dum ſperet modo ſe in paucis diebus liberatum iri. Affluentem uerò ſuccum, qui uitiatus eſt, auertes & regeres, conſtrictis illis quæ ſunt ante ulcus particulis. Aſtringendi porrò facultatẽ habent medicamẽ-

ta,

ta, quæ refrigerandi ſiccandiq́; uim obtinent. Ac uerò, quia ſæpenumero ſiſti compeſciq́; nequit, iccirco cauſa primum inueſtigãda eſt, deinde funditus tollenda. Cauſa eſſe poterit aut partis imbecillitas, propter ualentiorem qualitatum intemperiem: aut totius corporis, uel aliquarum partiũ, quæ proximæ ſunt affe ctæ parti, πληθώρα, uel κακοχυμία. Si ex ualida intẽperie pars minus ſolito ualet, contrarijs morbum oppugnabis præſidijs: ſin alicuius partis occaſione, uel ex ſanguine, malis'ue ſuc cis qui in corpore exuberant, id accidat, ijs ante omnia ueluti principibus cauſis eſt oc-currendum, quo expeditior, & à nullo impe-dimento interpellatus, ad ulceris curationem aggrediaris. Cauſas autem intelligi uolo in-ternas. nam externæ curandi rationem nõ in-dicant, ſed affectum monſtrant, hoc eſt medi-caminum pondus, modumq́; quibus depellitur affectus circumſcribunt. Ex ijs quæ uetant ne ulcus ſaneſcat, uariæ ſunt cauſæ: qualis eſt tumor præter naturam, aut citra tumorem lo ci exulcerati intemperies, aut lien turgidus,

aut

aut in iocinore aliquod uitium consurgens, aut uitiosus in toto corpore succus, aut πληθώρα. sæpe enim sanguinis copia impedit curationis cursum, interdum uero reliquus humor itidem remoratur. Propterea cum morbi magnitudo urget, & uires patiuntur, atq; ætas consensit, tunc uel sanguinem duces, uel pharmacum exhibebis: quod quidem est utile, aut ad materiam quæ molesta est expurgandam, aut auertendam, aut euacuandam. Porro magnitudinem morbi æstimabis, tum ad partis affectæ præstantem excellentiam, tum ad naturã illius, tum ad κακοήθειαν, id est morbi contumaciam. Nec solũ à magnitudine indicationes curandi petas licet, uerumetiam à loci positu, substantia, temperatura, conformatione, sensus acumine, & actionum usu atq; excellentia. Vlceri nãq; ipsius uentriculi, pharmaca quæ ore possunt exhauriri, aptissima esse, locus indicat. Ex intestinis, crassorum quidem affectibus enemata sunt commodiora: gracilium uerò, tam pharmaca, quàm enemata promiscuè admouere poteris. Magnope-

re etiam est tibi enitendum, ut internis parti bus probè consulas, & ea alimenta & medicamenta seligas, quæ naturæ animalis & tẽperamento esse familiaria iudicaueris. Nõ enim ut extimis partibus, ita quoque intimis, idem curandi modus & ratio quadrat. Interea nec paruipendes conformationem, ex qua euacuandi modũ cognoscere poteris. At sensus hebetudinem accuratè contemplaberis, quãdo quidem partes ulceratæ, quæ facile sentiunt, medicamenta mitia, nullũq; dolorem afferentia requirant: quarum autem sensus hebescit, illis acria & ualentia medicamina conueniunt. Usum quoque tenere plurimi refert, an sit actio usui omnibus partibus corporis, an paucis, an uni. si uni, intemperiẽ, quæ ex affluxu humoris enata est, curabis, eatenus exinaniendo, quatenus affectæ partis natura postulat: sin omnibus, maiorem in modum cauebis, ne uires immoderata euacuatione concidant & euertantur. Bonf. Mirum quantũ me promoues in his medicinæ studijs. Perge igitur obsecro, rem obscuram, quemadmodũ

ba

hactenus, exemplis illustrare. Cass. Mihi nō succurrunt, nisi sumam ex Galeno. Bonfad. Quid tum deinde? omnia quæcunq; potes, huc summatim transfer. malo ex fontibus haurias, quàm riuulos consecteris. Cass. Turpe est, ex aliorum racemis sibi facere uindemiam. Bonfad. Imò turpissimum, si aliena tibi uindicares, et domi prædicares nasci. Perge igitur: Galeni manes non lædes, nec in odium bonorum uirorum incurres, sed magis atque magis eos conciliabis tibi, qui methodum ab hinc tot annis iacentem, aliquantulum excitas. Quin si ego arbitrarer, hæc exempla ab alijs scriptoribus te mutuari, quàm ab autore omnium bonarum rerum Galeno, medicinam pertæsus, fugam meditarer in castra Oratorum, ac Poetarum. Cass. Ne ergo à nobis deficias, hac in re tibi gratificabor, & à Galeno ne latum quidem (quod aiunt) unguem discedam. Bonf. Sic facito: quoniam & si aliquid noui non afferre uideberis, et de tuo pauca promere, at certe ijs ipsis aditum ad methodum medendi patefacies, qui medici-

næ sacris initiãtur. Nec deterreri aliorũ scriptis debes, qui potius ad id faciendum te possunt impellere, quàm depellere atq; auertere. Caß. Age uerò, quia ita uis, morem geram: & nihil dicam, quod dogmatibus Galeni sit alienũ. quinetiam exempla & præcepta, quæ ab eodem desumpsi, in tuã gratiam huc aliqua transferam: non tamen profiteor me dicturum aliquod nouum & inauditum, quin prius sit dictum atq; auditum. Sed eo consilio teipsum instituo & erudio, ut etiam tui similes relictis somnijs quorundam senum, quibus est difficillimum mutare linguam, adiungant animum ad methodum. Placet'ne igitur ut loquar de ratione sistendi profluuiũ sanguinis, qualecunq; id fuerit? Bons. Perplacet. Caß. Sanguinis itaq; excretio fit, aut propter ἀναστόμωσιν, aut διαπήδησιν. Nam uenarũ ora aperiũtur, aut ex imbecillitate facultatis retentricis, & ualido motu expultricis: aut ex copia sanguinis latè dimanantis: aut fit eruptio, quia alicuius humoris acrimonia uenam erosit & adedit: aut quia ipsa uulnerata est, uel contusa.

Vulnus

Vulnus autem inferre poßunt tela acuta, & alia id genus ad secandum habilia & accommoda: contundunt grauia & dura corpora. At uerò dißiliunt uenæ, quia plus iusto tenduntur, aut quia magno casu corpus ruit, uel onus subit, quàm ferre potest, grauius: uel magna uociferatione utitur, uel cursu, uel saltu contendit, uel immoderato alio motu agitatur. Cognitis ergo caußis, ex quibus sanguis profluit, non antè ulcus curabis, quàm apud te constituas, an aliquid obsistat, quod initiò sit amouendum. Si caußa profluuij præsens est, eam tolli curabis: sin autem abest, sanguinem compesces, moxq; ulceri medeberis. Cõpescitur sanè, labris uulneris inter se coeuntibus, aut consutis, aut interuentu medicaminum refrigerantium atq; compingentium. Venas tamen & arterias, quoniam suere non poteris, ideo ligare, aut præcidere neceßum est. sed uenarum ora, quæ hiant, opprimere commodum est, sanguinis grumo: aut medicaminib. illis quæ lenta craßaq; sunt, & crustam obducunt. Sanguinis excretionem immoderatam,

menſiumq́; profluuium, ſiſtit reuulſio, atq; omnes fluxus compeſcit: itidem deriuatio. Sed quotieſcunque ſiſtere ſanguinem uolueris, & ſitum loci diligentiſsime ſpectabis, & à leuioribus minusq́; efficacibus præſidijs incipies. At tamen ſanguinis eruptionem ex putri eroſione, omni abdicata mora, præſtat ferro candenti cohibere, quàm medicamento, quod cruſtam inducendi facultate præditum eſt: quale illud, cui uis aſtringendi ineſt. Ac ne longũ faciam, duos ſcopos tibi propones, nimirũ quãtitatem & effectũ. Venis enim magnis, quæ adeſæ ſunt, et ualde dehiſcũt, acerbis opus eſt medicaminibus: exiguis autem, et illis quidem adeſis, ſed parum hiantibus, atque parcè ſanguinem fundentibus, quæcũq; mediocriter adſtringũt, belliſsime cõueniũt. Nec ſemper expedit extrinſecus admotis rebus frigidis, ſanguinis profuſionem regerere, et intrò repellere. ſed interdum ſectione uenæ, frictionibus, uinculis, curcubitulis, auertere profuit. Διαπήδησιν *porro iiſdem medicamentis, hoc eſt frigidis, remouebis, ac feliciter curabis, niſi ſan-*

guis

guis propterea exire depræhendatur, quod admodum esset tenuis, cui uictu crassiusculo percommodè obsistes. Bonfad. Perge exemplis, ut cœpisti, methodũ quam tradidisti illustrare. tota enim mihi animo recursat? Cass. De uulnere oßis atque nerui dicam. Bonf. Maxime id cupio. Caß. Sanè inter initia corpus accuratißimè spectabis, an plenũ sit, an uitiatis succis abundet, rursus utrum pars affecta dolorem facile percipiat. Sanè neruus statim atque punctus est, excellenter sentit. Ideoq; dolore & inflammatione corripitur. Exinanito igitur corpore, ut excrementa procul à loco affecto arceantur, atque dolor subleuetur, ea pharmaca deliges, quorũ facultas calefaciendi est modica, atq; etiã siccãdi sine ulla molestia. Figura quoq; uulnerati nerui, ad curationem multũ confert, utrum lata, an longa, an alta, an obliqua. Mutat enim curandi rationem, & medicaminum genus ac modum indicat. Aliter neruũ cæsim sauciatum, aliter punctim ictum curabis. De temperatura eius, & usu, nihil loquor: quoniã quan-

tam uim habeant, tu ipſe conijcere potes, ex illis quæ multo antè ſum præfatus. Porrò oſſis κάταγμα, quoniam eſt partis continuæ diuiſio, iccirco primus curandi ſcopus erit ipſa ἕνωσις. Id uerò ſi propter nimiam ſiccitatem effici nequeat, alterum ſcopum res tibi indicabit, nimirum κόλλησιν: à quo quidem aberrans, & fruſtratus in curando, operã ludes. Molle igitur os, quale in pueris eſſe oportet, quod curam recipit, & ex ſe coaleſcit: coaleſcit autem et adglutinatur excremento alimenti, quo nutritur os: excrementum appello, quod quantitatis & qualitatis modum ſeruat, et in tempore ad partes diuiſas accedit. Figuram itidem κατάγματος æquè perſpicere, ac ulceris, operæ eſt precium. Crebrò enim ad illã curandi rationẽ formabis & inſtitues. *Bonfad.* Hactenus mihi cumulatiſſime ſatisfeciſti. Sed heus tu, nihil de morbis qui ex mala tẽperatura conſurgunt in ſimilibus partibus? *Caſſ.* Peropportunè: ego idipſum quoq; cogitabam. Itaq; cum morbus, quemadmodum initiò dixi, ſit affectus præter naturam proxi

mè

mè impediens naturales actiones, cumq; actiones plerunque uitientur ex mala temperatura, similium duntaxat partium: enitendum est, ut contrarijs medicaminibus prauam temperaturam oppugnes, bonamq; efficias. Hic sanè scopus mutandi temperamentũ cõmunis est cum omnibus morbis, qui similibus partibus sunt infesti. quocirca intemperies uestigabis. Octo enim genera sunt, ex quibus totidem curandi nascuntur modi, indeq; uictus instituendi ratio mutatur, & medicamentorum delectus & usus uariat, quorum syluam pro morbis ex intemperie profligandis suppeditabunt libri Galeni de Simplicium compositorumúe pharmacorũ facultatibus. Signa autem unde intemperiei naturã cognoscere tibi liceat, petes ex primo de Temperamentis libro, tum etiam ex Cõmentarijs de Locis affectis, tum ex eo libello qui inscribitur τέχνη ἰατρική. Bonfad. Quid τέχνη? passim audio à publicis professoribus hanc inscriptionem pronunciari μικροτέχνη. Cass. Quàm recte, ipsi uiderint. Ego quidem illam arbitror esse ueram &

germanam libri inſcriptionem, quam modo protuli. Cot. Tu'ne ſolus aduerſans uiris tam præclari nominis, uis ſapere? Caſ. Minime gentium: ſed odi quoſdam homines, qui quidem ipſis rebus luce meridiana clariorib. tenebras offundunt, nedum peruertunt nomina, et ſua barbarie contaminant. Hoc mi Bõfadi nihil eſt, ad alia quæ ſolent inuertere, non ſine magna quidem iactura artis medicæ. Vtcunq;, quoniam errata medicorum recenſere non decreui, ad rem inſtitutam redeo. Sane intemperies ſine affluxu humoris calida, & frigida, curam recipit facilius, quàm humida & ſicca: quanquam ſicca ſimul & frigida, ex ſimplicibus omnium deterrima eſt, & intemperies ſicca. Quæ autem ex materiæ affluxu, ſinum ſtomachi occupat, aut in eius tunicis coit, & imbuitur, haud eodem modo curatur. Nam materia ipſa, quæ in ſtomacho reſedit, ſtatim inanitione expurgari debet: quæ autẽ altè inhæſit, atq; imbuta eſt, non ante exhauriendā eſt, quàm totum corpus, quod eſt plethoricum, diligenter inanieris: aut quod eſt cacochy-

cochymum, medicamento purgaueris. His enim rite peractis, tutò ad materiam, quæ malam temperaturam stomachi alit hauriẽdam, porroq́; pellendam, aggredi poteris. Deinde stomachum idoneis præsidijs munies, & corroborabis. Idonea sunt ea quæ ad bonum habitum ac tonum conducunt: qualia sunt medicamenta omnia, quæ facultatem astringendi obtinent, idq́;, & ne materiam aliunde sese effundentẽ ipse labefactus concipiat. Ad extremũ causis, ob quas corporis partes à se recrementa in stomachum amandat, sedulo occurres. Illas nimirum cognosces, tum ex uita antè acta, tum ex consuetudine: cuius mutatio, proh dij immortales, quantas uires habet? longa experientia edocuit. Persæpe enim compertum est, quibus præter solitum, profluuiũ sanguinis, aut alui, aut aliarum excretionum, certis anni temporibus supprimebatur, aut corporis exercitatio intermittebatur, multos incidisse in stomachi malam temperaturam. nam excrementa, quæ solebant statis periodis à natura corpore agi, in aliquam partem

diuertere, indeq; in stomachum decurrere, est uerisimillimum. Itaq; ut propius ad naturam rei inter initia propositæ accedam, Febrem nimirum, quæ in uniuersum dicitur esse mala temperatura, hoc est calor immoderatus, qui in totum corpus longè lateq; diffusus animal mœrore conficit, atq; actiones naturales impedit, illicò interstingui non curabis, sed tecum animo obuersabis, atq; diligenti ratione inuestigabis, utrum efficientes causas habeat, an nullas prorsus. Porrò si abesse pro comperto habebis, natura rei, quam formam & essentiam, hoc est intimam rei causam per me appelles licet, quid tibi faciendum sit, planißime indicat. Sin autem adesse existimabis, minime ociari illas, tibi persuadeas uelim, quin moliantur, & semper aliquid efficiant, aut calorem natiuum maiorem in modum exacuant, aut putredinem inuehãt. Proinde, obseruato opus est mi Bonfadi, an στέγνωσις, id est stipatio, ueluti ἔμφραξις, μύσις τῶν πόρων, & σώματος πύκνωσις molesta sit. Interclusis namq; uijs corporis, uel cutis meatibus, halitus acres & fuligine

ligine obliti, nequeunt perspirare: ex quo fit, ut natiuus calor supramodum ferueat, febrémque diariam accendat. aut ubi humores ad putredinem corripuerit febrium genus longè exitialius, quibus sunt obnoxia calidæ & humidæ temperaturæ corpora, aliud excitet. Percommode igitur ad ea præsidia confugies, si diaria urgeat, quæ obstructione liberare possunt. cuiusmodi sunt dulcis aquæ balnea, leuis frictio, moderata corporis exercitatio, cibi illi qui sunt optimi succi. At quando perspiratio impeditur, putredóque crescit, quia quæcunque obstruunt tenacia sunt, aut crassa, aut plus iusto copiosa, aut ualide siccantia, ideo natura cuiuscunque causæ, quid sit opus facto, dabit indicium. Aut enim sanguinem mittere de uena suadebit, aut alia uia aggrediendam esse curationem ostendet. Sanguis quidē ducitur, uel quia sua tēperatione, hoc est qualitate destituitur: inutilisque factus, non ita mēbra alit, ut antea solebat alere. uel quia usque adeò increuit, ut uires aggrauet & opprimat, aut arterias & uenas obstruat. Succos

uero alios qui ſunt uitiati, hoc eſt uel crudi, uel ſupra modum tenues, uel craßi, uel lenti, tenaceſue, τῇ ἐπικράσει emēdabis. Nō tamen prius uenam incides, quàm ſpectabis antecedentia, & conſequentia. Antecedente enim cruditate ſanguinem mittere, non eſt opportunū, niſi cibus probè confectus ſit & concoctus. neque item hoc remedium utile eſt, ſi uerearis aliquam fore naturalem excretionem: qualis eſt alui ſubductio, ſanguinis eruptio, mēſiū profluuium. Perpendes itidem quàm diligentiſsime naturam morbi, corporis uires, tempe riem cœli, ætatem, cōſuetudinem. Sæpe enim offendas licet corpora quædam ſic delicata, ſic mollia, et motum uel leuißimum ſentientia, ut ſtatim ſoluantur et langueant. Magni etiā æſtus ſectionem uenæ inhibere poßunt, ætas quoq; ſenilis ac puerilis interdicere poteſt. Cum uero ſanguinem iure ducere poteris, fac perpetuò modum teneas, quem quidem tibi præſcribere poteris ex indicationibus, quæ neceßitatem & magnitudinem rerum agendarum, quæq; commodum incommodumq; in-

signiter futurum commonstrant. sed præ cæteris illæ commonstrare mihi uidentur, quæ à uiribus sumuntur, hoc est à tribus facultatibus, quas Plato animas uocat. Iis etenim corpus & humana uita sustentatur: quarum quidem quando una concidit, reliquas etiam concidere necesse est. Propterea quicunq; & tuendæ ualetudinis & morbi depellendi methodum tradit, eo sanè consilio mihi uidetur tradere, ut hominē quoad fieri poßit, in uita retineat. quanquam bonam ualetudinem semper uitæ salus, morbi autem depulsionem, plerunque consequitur. Cæterum uictus formam institues, sanè percommodam, omnibus febribus, ad indicationes petitas, & à natura morbi et uiribus, & corporis temperatura: & hac quidem tum naturali, tū ascititia, et à cœli statu, & ætate, & consuetudine. Bonfid. Cur singularium febrium exempla nominatim non instituis? Caß. Nempe quod habeo in animo accurata ratione, & de illis, atq; alijs morborum generibus conscribere. Bonf. Accepi non deesse etiam, qui hoc præstiterunt.

Caß.

Cass. Scio equidem, sed eam methodum seruari ab illis non cognosco, quam sæpissime desideraui. Ea re tamen multum ipsis debemus, quod medicinæ studia promouere conantur, & literis latinis illustrare summa ope nituntur, ne semper res nobis sit cum Arabibus, & infantibus medicis. Bonfad. Rectè quidem faciunt, & benè præclareq́ merentur de studiosis medicinæ. At tu perfice quod hodie incohasti. postea si tibi uidebitur, loco & tempore, quod est in animo, proferes, & amicis pro tua humanitate mirifica id imperties. nã te decet labores tolerare, dum uires anniq́ sinunt: & eo magis, quo facilius Musarum fores esse tibi apertas sentis, & iam aditum patere in sacra Apollinis & Aesculapij. Vtere igitur hac fortuna, dum ætas primi temporis tibi floret, quæ tacito (quemadmodum cecinit Poeta) pede labitur. Cernis rosas spina armari, mella in abditis locis & inuijs ab apibus recondi. Proinde ut non quisquã fruitur ueris odoribus hybleis, latebras nec spoliat fauis, si fronti caueat, si timeat rubos: sic me-

mediũ sfidius nec alijs prodeſſe, nec poſt te aliquid egregium relinquere poteris, quo uixiſſe poſteritati teſteris, ſi in hac tua florenti iuuenta laboris impatiens, nihil tentes, ſed ocio & inertiæ ſuccumbas. Caſſ. Norunt illi duo nobiliſſimi, & optimæ ſpei adoleſcentes Veneti, Laurentius Maurocenus, et Sebaſtianus Ericius, quàm ſim laboris amans, & ocij fugitans: quin nullum à labore me redclinat ocium, & urget diem nox, & dies noctem, neq; eſt leuare tenta ſpiritu præcordia: tantum abeſt ut patiar hanc meam ætatem ſocordia diſtabeſcere. Quid quæris? uix dum hinc à me diſcedes, cum in bibliothecam me abdam, Commentarios cuiuſdam mei familiaris in libros Ariſtotelis de Ortu & interitu rerum naturaliũ perlecturus, quos quidem & docte, et ornate, latineq; conſcripſit. Bonfad. Illum optime noui, & magna familiaritas mihi quoq; cũ eo intercedit. Tu uerò interea uide, ne ipſo quod reſtat, me defraudes. Caſſ. Pauca admodum ſuperſunt, in quibus uolo te exerceri. nempe reſtant ſympto-

mata, et tumores præter naturam. Sed initio de ſymptomatibus dicturus, differentias eorũ ſtrictim perſtringam, quarum ſingulatim exempla afferam, à quibus cætera ſymptomata curandi rationem diſcas licebit. Symptomatum ergo differentiæ ſunt tres. Alia appellantur actionum impedimenta, ſeu noxæ: alia dicũtur immoderatæ excretiones, aut ſuppreſsiones: alia autem potius ſigna affectuũ, qui ſunt præter naturam, nuncupantur. Affectus enim tolle, ſigna quoque ſuſtuleris. at ſymptomata, quæ dira ſunt, & ualde ſæuiunt, omnem medici curationem, neglecto morbo, ad ſe conuertunt: aut quia eam uim habent, quam morbi cauſam habere eſt uериſimillimũ, propterea quod eò periculi ægrum adducunt, ut ne uirib. deſtituatur, iure timeri poſsit. Proinde ſymptomata, quà ſunt ſymptomata, nullam curandi indicationem de ſe præbent, niſi cauſæ rationem præſtent. Aut quoniam ægro gratificari, atq; eius molliciei obſequi ſtudemus. Sæpiſsime tamen fit, ut et uiribus quæ fatiſcunt & concidunt ſubuenire, & ſymptomatis

matis acerbitatem mitigare eodem tempore ſit neceſſarium, interdum alterutri duntaxat ſuccurrere oporteat. At ſi occurratur ſymptomati, ex eo ſanè occurri arbitreris uelim, quod uires tueri & iuuare cupimus, alioqui nunquã. Verumenimuero, ut eſt boni medici cum ratione & tutò morbum curare & depellere, ita profectò eſt mali & adulatoris cæci & uilis, in omnibus ægro indulgere. hic enim uoluptatem, ille ſanitatem ſibi pro fine conſtituit: hic gnatonicam & paraſiticam artem ducit in bonis, ille medendi ſcientiam: hic uerba dat, ne dicam uenenum propinat, ille pharmacum ſalutare & remedium præſentaneum affert, & ſæuis morbi cruciatibus ægrum liberat. Commodiſſime igitur auſpicabimur ab alui profluuio, quod in acutis febribus ſæpenumero contingit. Id enim aut ex acrib. humoribus excitatur, qui facultatem expultricem proritant ea acrimonia, quæ ſanè parua non eſt: aut ex pituita, quæ continendi facultatem labefactare, ſtomachumq; & inteſtina impenſe relaxare ſolet: aut ex uentriculi

imbecillitate, cuius fibræ quando ob nimium humorem remittuntur, ac supra modũ laxantur, uis expellendi retinendíue debilitatur. His itaq; hunc in modũ positis atq; constitutis, manifestò tibi sese offert curandi methodus. natura enim rei planißimè indicat, medicamenta ea ipsa eße admouẽda, quæ humoris acrimoniam obtũdere poßint. Cõsultè igitur emplastica adhibebis, qualis est chõdrus, ptisanæ cremor, tragacãtha, et id genus prope modũ innumerabilia medicamina, quorũ quidẽ sylua amplißima est. At uero ut pituitosos humores rebus quæ habent siccandi uim, curare expedit, sic laxamentum stomachi ijs quæ astringunt, medicari conuenit. Et sanè quemadmodum uentris fluxus rectè curatur, cuius cognita est proxima causa: ita meo quidem iudicio sitis restiguendæ modũ, si naturam rei uestigabis, principio inuenies. Sitis igitur ex sententia Aristotelis atq; Galeni, est appetitus frigidi simul & humidi, aut alterutrius modò. potest enim utrumque deficere, aut alterum duntaxat, ex quo molestus appetitus

cum

cum febre iungitur. Quid obsecro uetat quin uentriculũ solus humor deficiat? uicissimq́ꝫ soli us frigoris defectus pariter & caloris excessus infestet? & aliquando humoris itidemq́ꝫ frigoris inopia cruciet? Et id fieri existimat Galenus aut propter malam stomachi temperaturam, aut ob materiam putrem, quæ affecto loco alte insidet, summosq́ꝫ affert cruciatus. Locus autem princeps est uentriculus, sed præcipuus et genuinus esse illius os iudicatur à uiris doctis. nam sitis atqꝫ fames sunt quidam appetitus cum sensu, sed appetitus sensui coniunctus nusquam aliàs depræhenditur esse quàm in uentriculo. Iure ergo illa sedes apposité siti ac fami adiudicatur. Ex cõsensu etiam num huiusmodi appetitum inuehunt partes uicinæ, & uentriculo quàm proximæ: cuiusmodi sunt, gula, pulmo, ieiunum intestinum, & quæcunqꝫ haud longè absunt. Quamobrem sitim restinguere quando uolueris, ne collabantur uires, neqꝫ uentriculus tabescat, neque febris magis atque magis increscat, tunc pro natura rei remedia commodissima ultrò tibi

occurrent, et abunde ſuppetent, niſi inſtitutus & rectus curandi interpelletur curſus. Vnde autem hæc interpellatio euenire poßit, indicationes, quæ ſumuntur tum à temperatura, tum à poſitura conſentientis partis, ſignificabunt. Cerebrũ (exẽpli cauſa) imbecillũ, et diſtillationib. obnoxiũ, uel ſuapte natura frigidum, medicamina refrigerantia & humefacientia non ſanè patitur: quanq̃ ſunt ſiti reſtinguendæ. Si nihil igitur interturbat, quid opus ſit facto, cõſultore (ut dixi) nõ eges. Quid ſi altus ſomnus, hoc eſt ſopor, hominem ex acuta febre laborantem opprimat? Nempe mi Bonfadi, admonendus es iterum atq; iterum, ut tibi magnopere curæ ſit, ne ad lethargum ipſum corripiat, aut alium morbum, aut aliud perinſigne incommodum afferat, quo minus æger poßit cibũ capere. Quare cõmonitũ te uolo etiã, ut putes atq; pro certo habeas, nihil eſſe utilius, nihil homine docto, & artis medicæ cõſulto dignius, nullã expeditiorẽ uiã et cõmodiorem ad curandũ à Galeno excogitarẽ atq; inueniri potuiſſe, quàm ſemper à rerũ natura

tura sumere exordium. Somni igitur naturam (ut ad rem redeamus) perscrutaberis hunc sanè in modum. Somnus duplex est, alter naturalis, præter naturam alter. naturalis quidē est, sensorij primi refrigeratio. at refrigerandi modus est is, quem nobis scitè & eleganter tum descripsit Galenus, cū dixit, Somno obrepente calorem natiuum ad alimentum quod intus conficitur, ab ambitu corporis reuocari. Vbi enim ille occursat alimento primum refrigeratur & obtunditur, deinde uires acquirit, & plus atq; plus inualescit. Postremum quasi rore perfusus humectatur, & illud ipsum probè conficit & cōcoquit, ex quo uapores halant, rectaq; caput impetunt. Vbi postea quàm refrigerati sunt, suopte pondere leniter & paulatim descendūt, & somnū inire suadent. Materia ergo unde conciliatur somnus, est humiditas cū frigiditate iūcta. Sed altera est causa potior, quàm altera. nam frigus sensum magis obtundit, quàm somnum inducit. Locus porrò somni est adhuc incertus, nec facile tecum statuere potes, utrum

Aristoteli aßentiendum sit, an Galeno. quorum alter tanti facit cor, quanti alter æstimat cerebrum. Galenus quidem somni principem sedem in cerebro posuit. eo namq; refrigerato sensum communem uinciri et consopori, indeq; somnum derepente oriri existimat, etiam si uapores necdum descenderint, nec in cordis arcem inuaserint. Aristoteles uerò nititur probare nobis ac persuadere, ex eo somnum in corde sedem & domicilium habere, quòd non ante repit placidißima quies, quàm uapores, qui in cerebro craßiusculi ac frigiduli euaserunt, in sinum cordis lentè descendãt. Id quod Poeta noster omnium bonarum disciplinarũ peritißimus, non ignoraße mihi uidetur: qui in libro quinto Aeneidos, deum Phorbanti similem inducit, quaßantem super utraq; Palinuri tempora ramum madentem rore Lethæo, soporatũq; Stygia ui, ut illi cunctãti natantia lumina solueret. De somno præter naturã nihil dicam in præsentia. qui enim utrũuis norit, ambos nouerit. Id tantum addã, somnum præter naturã eße quendam sensus obtusum

sum stuporem, hoc est congelationem, & κατάληψιν, non quidem ob uapores, qui ex alimento excitantur, sed propter intemperiem, & illam sanè uel solam, uel cum materia iunctam, quæ in cerebro residet, aut in alijs corporis partibus, in quibus crudi humores (ut sic dixerim) restagnãt, indeq; iugiter halantes ex febris æstu cerebrũ petũt, mirisq; modis sunt molesti. At uerò quẽadmodũ somnus, si modũ excesserit, nec Galeno, nec multo antè ipsum Hippocrati probatur, sic etiam excellens uigilia damnatur, imò censetur esse longe deterior. Ad uigilias autem immoderatas adigit calor factus feruidior, & plus iusto siccus, ac penè aridus, qui è partib. corporis interioribus, ad exteriores, & totum ambitum effunditur. hinc fit perspicuum, huius symptomatis causam esse siccitatem, quemadmodum somnî esse humorem nuper dicebam. Si qua tamen res calida reperitur, quæ somnum conciliet, ideo illam conciliare tibi persuadeas, quia est humida. quin calida & sicca uigiliarum parens est. Usu enim compertum habeo, uel ex

sola cerebri intemperie calida et sicca, uel ex uaporib. pariter siccis & calidis, qui in alia parte corporis resident, capiti consentiente, uigilias magnopere infestas esse. Tenes itaq; symptomatis utriusque causas, ad quas quia ipse per te potes æstimare genus præsidiorum, propterea supersedebo: quoniam quæ conueniũt, nominatim recensere est superuacaneũ: tum quia longum sermonem instituere mihi necessarium esset, tum quia de re aperta te cõmonere non oportet. Huc etiã pertinet, quod alijs negocijs mihi districto, non est integrũ longo tempore tecum colloqui. Quare mi Bõfadi, illud quod superest, si placet, quàm breuissime fieri poterit absoluã. Bonf. De tumorib. præter naturã dicendũ restat: præterea quod ego meminerim, nihil. Cass. De ijs ipsis sanè postremo loco me dicturum tibi pollicebar, uel potius recipiebam. Agedum ergo, ne longius oratione prouehar, à definitione inflammationis initium nunc ducamus. nam reliquorum tumorũ natura deinceps liquebit, & facilius intelligetur. Bonfad. Rectè sanè.

ne. iā quid sis dicturus aueo audire. Caß. Inflāmatio quidem est tumor præter naturam, quo pars corporis, ueluti caro, quæ affecta est, æstuat, tēditur, rubet, dolet, micat ex affluxu sanguinis supra modum calentis. propterea curandi scopus, quando tibi indicatur, ipsum iam defluxiße, atque in partem affectam incubuiße, tunc peropportunè defigitur in euacuandi rationem. At quotiescunque partim fluere, & partim fluxiße cognoueris, fac distrahas in duo ueluti capita curandi methodum, cum prospiciendo, tum curando: sed primum, ne quid amplius fluat prospicere, deinde quod fluxit curare oportet. Curabis quidē id euacuando, quod fluxit: prospicies uerò ne defluat, inhibendo. nam affectus qui præter naturam nascuntur, semper de se compositas dant indicationes: quas felicißime tūc exequêris, cū exquisitè causam cognoueris, cur affluat materia: utrum aliunde delabatur, an finib. affectæ partis coerceatur. Sublata enim causa, nihil uerendum est, quin cætera ex animi sententia tibi procedāt. idque pro cer

to habendum est atque existimandum, ad reliquos præter naturam tumores, quod in uniuersum & raptim à me dicitur, optime posse accommodari, quanquam alij ex alia consurgunt materia. Perpetuò tamen te meminisse uolo, quod sæpe usurpare soleo, naturam rei esse tibi contemplandam, ne quid temere & inconsultò agas. Natura etenim similium partium, hoc est temperatura agendi modulum præscribit: dissimilium autem etiam locum in quo uersatur actio, rationem itidem euacuandi indicat. Vnde fit ut crebro ex multiplici natura rerum, plurimæ curandi indicationes exoriantur. quibus sanè non omnibus promiscue dabis operam, sed certum ordinem tibi propones. Iis igitur unis, ante omnia uacabis, quæ cæteris & dignitate et magnitudine præstant. Ecquis, si qua corporis pars affecta in tumore sit, & à naturali habitu excidat, tum quia permulto sanguine oppleatur & redundet, tum quia supra modum caleat, ecquis inquam non intelligit hinc geminas indicationes prodire? alteram quidem, quæ suadet sangui-

nem

nem exhaurire, alteram uerò quæ hortatur partem refrigerare? Sed utri prius uacandũ est? dicat quispiam. nempe illi quæ ostendit inanitionem aggrediendam esse: postremùm alteri, per quam conijcimus partem æstuantẽ esse rebus frigidis temperandam. In herysipelate tamen ordo inuertitur, atq; ob id primũ patiens locus refrigeratur, deinde euacuatur. Sed quacunq; aggrederis uia ipsam curationem, fac semper modũ teneas, siue euacues, siue deriues, siue reuellas: id quod te facturum esse mihi persuadeo, si partium illarum quæ tumescunt, & situm & naturam quàm diligentissime spectaueris. Permagni enim interest, huicne, an illi loco qui in tumorem attollitur, medearis. Alij sanê alius inaniendi modus, atq; alij subinde aliud medicamenti genus cõuenit: alij non item. Oculi quidem inflammatio, posteaquam purgata est conuenienti medicamine, aluus leuatur ac curatur. Iocinoris uerò, tantum abest ut depellatur, ut plus atq; plus increscat. Renes itidem uesicamq; & uterũ, quando inflãmatio urget, illa phar

maxa quibus inest facultas ciendi urinam, nõ modo non iuuant, sed magnopere lædunt, propterea quod materia, quam ab effectis locis auerti & reuelli oportet, in illa conuehitur & deriuatur. Atq; hactenus de inflammatione. De herysipelate perpauca in medium adferã: deinde traditis quibusdam præceptis, finem dicendi statim faciam. Herysipelas igitur est tumor præter naturam rubens, qui ex flauæ bilis affluxu in cutem consurgit. unde plerunque accidit, ut propter illius acrimoniam ulcuscula excitentur: interdum nulla conspiciãtur. si nulla, à Græcis proprie φλεγμονὴ appellatur: sin in cute efflorescant, ἐρυσίπελας nuncupatur. Sæpe autem bilis flaua commiscetur sanguine, aut alio humore: indeq; tumori à parte, quæ excellit & superat, nomen inditur. At locus simplici herysipelate obsessus, exhausta bili flaua, curatur & sanatur. Exhauritur sanè, aut aliò repulsa, aut per halitum foras excussa, & per cæcos meatus amandata. Non enim solum pars, quæ propter bilis acrimoniam & calorem æstuat, hoc pacto

cto

cto refrigeratur, uerumetiam qua deprimebatur, mole leuatur & liberatur. Exinanire tamen partem non antè aggredieris, quàm totum corpus aliquo medicamento agente bilem, exacte purgatum fuerit. Sed simulatque materiam loco affecto egeris, medicamina laxantia & leuiter detergentia, atque remollientia admouebis: ut quod reliqui adhæsit, & induruit, extergatur & mollescat. licet idipsum rarò euenire soleat, nisi bilis alio misceatur humore, & herysipelas compositum efficiat. Porrò compositum curare quisque poterit, qui simplicis exquisitam methodum probè nouerit medendi. Sed animo semper uersari, et mentis aciem in illud figere oportet, quod excellit, & magis urget. Principio enim oppugnandum, ita quidem ut cætera nec prætermittas, nec si fieri poßit negligas. Reliquis tumoribus, perspecta causa prius ob quam exoriuntur illi, facile mederi est. Qui namque methodum tenet curandi unum, & item alterum, is ad alios tumores nullo negocio ipsam accommodare po-

terit: quoniã indicationes, quæ ſumũtur à cau ſa morbi, quæq; ab alijs circũſtantijs repetũtur, euacuandi rationem oſtendũt, atq; morbũ circumſcribunt. Quocirca non eſt quod amplius à me deſideres ſingulorũ tumorum ſingulas curationes: ſi illud unum memineris, in omnibus illis, humoris copiam atque modum, & potentiam, craßitudinisq; & tenuitatis, maxime uerò partium affectarum, naturam & ſitum ſpectare oportere: propterea quod aliæ ſunt rariores, aliæ denſiores & compactiores: ideo medicamentis cuiuſque generis, plus minus quàm ualidis, ac diuerſis egent. Memoria itidem repetes, atque tecum conſtitues, ut omnes abſceßus, qui ex humore tenui fiũt, quales meleceridesſunt, trifariam cures, tum ferro, tum pharmaco, tum rebus digerentibus. aut enim materiam, quæcunque tumido loco coercetur, per halitum diſcutere conuenit, aut purulentam & putrem reddere medicamento opus eſt, aut ferro excindere. quod ſi nihil proficias, ad ignobiliores partes deriuare expedit. In athero

ma-


mate satis est, partem excidere & putreface re: in steatomate aũt incidere duntaxat oportet. Sæpissime cõspicias licebit huiusmodi abscessibus penitiores corporis partes infestatũ iri, ita quidem, ut uiscus aliquod ipsi occupẽt, & altè insideant. Quocirca id temporis quo incipiunt infesti esse, præsentaneum medicamentum esse reor, quod habet facultatem dissoluendi humorem in halitum, hoc est digerendi uim & excutiendi. Id unum adhuc restat, quod præteriisse nolim, omnẽ tumorem, quoniam res est præter naturam, quæ indicat ut restituatur habitu naturali, si forte nequeas restituere, unà cum parte affecta, me iudice, præcides, moxq; curationem aggredieris, doloremq; ne inuehas cauebis, & à periculo quãtum fieri poterit ægrum abduces. nullum autem periculũ uitæ adduces, si fine tibi bene cõstituto, non frustraberis: ita ut quamuis paululum uacilles, & ab eo aliquantulum erres, nihil tamen noxæ ægro afferas. Nihil quoq; tibi erit uerendum, si uitiũ sic sustuleris, ut etiã nõ reuertatur. Hæc sunt Bonfadi, quæ mihi

in mentem uenerunt, dum tibi percunctanti re spõdeo. Quod si qua erũt, quæ obscurè dicta esse uideantur, breuitati meæ ignosces. Sin fal sò & temere exciderunt aliqua, putes me esse hominem, nec potuisse omnia adamußim per pendi. Nihil tamẽ dubito quin boni consulas, si forte in ea incidas, quæ te poßint offendere: atq; adeò iudices hæc maiori ocio ac diligen tiori studio castigari poße, si (quod aiũt) sub incudem reuocentur. Tu interea animo cun cta repetes, & ubi plenè tibi satisfactum non erit, per literas quàm diligentißime me cer tiorem facies. Bonf. Alio'ne fortaßis cogi tas? Caß. Maxime. hoc uesperi negocijs, ut scis, occupatus, soluere Patauio: cras, dijs ip sis bene uolẽtibus, summo manẽ Venetias pro ficiscar. Bonf. Bonis auibus. sed fac breui ad nos redeas, tu uerò Morzente secũ'ne profi cisceris? Fr. Mor. Quid ni? nõ poterã huic itineri aptiorem uirũ nancisci, quin etiam si ni hil eßet quod me Venetias reuocaret, hic u nus me poßet trahere. Bonfad. Rectè qui dem: utinã mihi eßet integrum, nam me quo

que

que uobis comitem itineris adiungerem. Sed tu ubi primũ appuleris, meo nomine plurimum salutabis Andream Rabirium, & Iouitam Rapicium, ciues Brixianos: quorum alterũ quidem multum amo propter morum suauitatem & eruditionem, alterum uerò propter singularem doctrinam & miram in dicendo facilitatem & copiam. Franc. Sedulò id faciam. Tu uerò interea dum redeo, ualetudinem custodi. Vale.

BASSIANI LANDI PLACENTINI medici & philosophi IATROLOGIAE Finis.



BASILEAE, EX OFFICINA Ioannis Oporini, Anno Salutis MDXLIII. *Mense Augusto.*


ARION